



P. XXII. a
— 110





12-BL-1872

STATUTA NOVITIATUS

ORDINIS

SACRI CISTERCIENSIS

IN

MONASTERIO B. M. V.

AD

SANCTAM CRUCEM.



VIENNÆ.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITHARISTICÆ.

1861.

STATUTA UNIVERSITATIS

UNIVERSITATIS

UNIVERSITATIS

UNIVERSITATIS



UNIVERSITATIS

In Nomine

sanctissimæ et individuae Trinitatis et in honorem,
beatae semperque immaculatae Virginis Mariae
Ordinis Cisterciensis Patronae. Amen.

Amplectentes, filii in Christo dilectissimi, praeclara vitae monasticae insignia, ante omnia, ad quid veneritis, pensare necesse est. Professio vestra, inquit S. Bernardus, altissima est, coelos transcendit, par Angelis est, angelicae similis puritati. Non solum enim vovetis omnem sanctitatem, sed et omnis sanctitatis perfectionem et omnis consummationis finem. Non est vestrum, circa communia praecepta languere, neque hoc solum attendere, quid praecipiat Deus, sed quid velit, quid consulat anhelantibus majora certamina, praemiaque majora. Aliorum est enim Deo servire, vestrum erit ei adhaerere. Aliorum est, Deum credere, scire et revereri, vestrum erit, Deum sapere, intelligere, cognoscere, eoque frui. Aliorum est, bonis temporalibus moderate uti, vestrum erit, spretis hujus vitae voluptatibus abjectoque omnis propriae voluntatis nisu ad aeterna volare, vosque in perfectum divinae majestati holocaustum offerre. Fundamentum igitur, filii in Christo dilectissimi, in quo omnis vitae monasticae aedificium construitur, constructumque firmum manet et inconcussum est studium christianae perfectionis, est studium illius charitatis, quae perfectam referat vitae Salvatoris nostri imaginem.

Hoc est enim illud centrum, quo omnes vitae vere religiosae radii vergunt, haecque est illa vere sacramentalis vis atque coelestis virtus, qua omnia monachorum opera, studiaque consecrantur ac demum coronantur. Neque pergrandes illi manuum labores, quibus ordines religiosi primitus occupati universo, ut ita dicamus, orbi benefactores exstiterent, neque praeclara illa in litteris divinis humanisque molimina, quibus inde a primordiis instituta monastica excellere, ex alio originem traxere principio, nisi ex impetu hujus charitatis, qua ardentibus egregii Christi milites, quum sui ipsorum victores fuissent, universum fere mortali genus Christo devicerunt, ipsique manciparunt. Accumulent itaque alii ad fines quoscunque humanos obtinendos, quantum potuerint, scientiarum congeriem, exornentur inde splendoribus gloriae, ferantur ipsorum nomina per ora hominum, tantum abest, ut vere religiosi iis invidiant, ut potius tales conatus prorsus inanēs salutique animae pestiferos existiment, persvasi omne litterarum studium, nisi susceptum sit ex charitate in Deum et ad hujus charitatis profectum mutare prorsus faciem suam, abire in subjectum illusionis, degenerare in lapidem offensionis et in ruinam omnis vitae spiritualis. Si praeterea satisque exploratum est in ecclesia Dei illud celeberrimum s. Augustini eloquium: Neminem intrare in veritatem nisi per charitatem: quanto et quam singulari profectu in ampla hac scientiarum arena gaudebant religiosi, qui sua jam professione omnibus saeculi praetensionibus nuntium mittentes continuo ferme et quasi necessitante gratiae

divinae inflexu ad strenuum charitatis omnique perfectionis studium impelluntur. Inde non mirandum, si monasteria, in quibus divinus ille primae institutionis fervor sanctusque regulae spiritus omnes et singulos penetrabat et accendebat, ubique terrarum cernebantur virtutum pariter ac scientiarum seminaria; non mirandum, si ex absconditis his et humilibus claustrorum cellis viri conspiciebantur prodeuntes, qui divino, quo fruebantur commercio succensi et confortati ecclesiam vel sacris doctrinae fluminibus irrigantes vel veritatis facem per maria, ignes et gladios ad remotos populos ferentes, vel charitatis oleo miseros desperatos, perditos, quoscumque ungentes, vel invicta mentis constantia laeti per medias mortis fauces ad patriam, quam anhelabant, revertentes, stupenda plane christianae perfectionis posteris suis reliquerunt documenta. Et nos, filii in Christo dilectissimi, qui sanctae et gloriosae hujus hereditatis participes facti sumus, an nos intuitu horum vitae monasticae heroum desides tepidosque deceat esse?

Nunquam sane, filii charissimi, felicissima, vere aurea haec vitae religiosae tempora redibunt, nunquam Ordines religiosi palmas illas patrum suorum de bene in ecclesia et civitate gestis promeritas recuperabunt, nisi ad illum, quem antiqui secuti fuerunt, spiritus vitaeque fervorem revertentes, eodem flagranti perfectionis studio incaluerint!

Quapropter etiam ecclesia, non ignorans, quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis splendoris atque utilitatis in eam redundet, omnibus in Concilio Triden-

tino sess. XXV. de ref. c. 1. viribus eo adlaboravit, ut, ubi essentialis haec vitae religiosae idea injuria temporum languescere coeperit, omni, quo par est studio, resuscitetur, aperte asseverans totum corruere debere aedificium, si ea, quae bases sunt et fundamenta totius regularis disciplinae, exacte non fuerint conservata.

Postulat hoc idem genius nostri temporis. Videmus enim nostra aetate numerum improborum in dies crescere augerique; hinc certe, quam maxime optandum, ut etiam uberior consurgat et quasi succrescat bonorum proles, succusque ille et sanguis incorruptus virorum propagetur, qui et sanctitate morum et excellentia doctrinae acceptam divinitus fidem et religionem adornent atque tueantur. Hoc ipsum postulat ratio reipublicae. Vis enim et virtus tum conservatrix civitatis tum regeneratrix nulla, nisi religio. Si autem illi, quorum vita singulari quodam modo vivum religionis exemplar esse deberet, exiguum aut plane nullum ejusdem signum prae se ferunt; si, qui compescere saecularium peccata deberent, ipsi in sordibus volutantur, nulla animarum lucra quaerentes, sua potius studia et commoda sectantes, terrena concupiscentes, humanam gloriam intenta mente captantes: non mireris, si mores hominum pedetentim corruptos, obedientiam concussam, reverentiam superiorum deletam, ipsaque ordinis tum ecclesiastici, tum civilis fundamenta subruta videris. Verum, ut ordines religiosi provocati gravissimis his rationibus, ad illum disciplinae antiquae spiritum revertantur, omnisque labor atque conatus

vanus non reputetur atque inanis, prima et maxima ad eos attentio et cura dirigenda est, qui sublimes hujus vitae partes suscipere desiderant. Hi enim pretiosi sunt flores, e quibus jure meritoque sanctae conversationis in ecclesia fructus exspectatur, lapides sunt illi sanctuarii, quibus labantes Ordinum partes confirmari debent atque consolidari. Quo major ergo, quo sublimior est status monastici finis, eo praeclarioribus excellent dotibus ejusdem tyrones.

Imprimis quidem nemo intret in gravissimum hujus vitae statum, nisi se vocatum sufficienter sciat a Deo. Non omnes enim, ipse inquit Salvator, capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Absit, ut quis absque praevia vocatione, praecipiti consilio vel ex motivis mere temporalibus huic statui se intrudat! Intraret enim non ad aedificationem sed ad destructionem tum sui, tum aliorum. Quo altior status monastici dignitas, eo gravior ruina eorum, qui decidunt. Malo monacho neminem pejorem novi, ipse fatetur S. Augustinus.

Verum etiamsi de superna vocatione sufficienter constare videatur, nullus tamen exspectet, se per ipsum Ordinis ingressum jamjam in tuto positum fore. Longum enim et durum est iter ad perfectionem; et quamvis in sacerrimis his propugnaculis arma abundant et subsidia, gravissimae tamen cumulantur pugnae et certamina, e quibus nemo victor prodibit, nisi qui omnibus derelictis ad extremum usque vitae apicem se totum Deo immolaverit. Qui aliud hic quaerit, quam pure Deum et animae suae salutem, nil inveniet, nisi tribulationem et dolorem. Sacrificii hujus magnitudinem nec non

gravitatem laboris, et certaminis diuturnitatem considerantes jam antiqui Ordinum institutores et Patres, nullum ad professionem admittendum esse censuerunt, nisi quem diu multumque probaverint; et ecclesia probe intelligens magnum hujus probationis momentum speciali lege prohibuit, ne in posterum ullus vota emittat, nisi per integrum annum secundum Regulam et Ordinis statuta in omnibus rite probatus satisque exploratus fuerit.

Ingressi jamjam, filii dilectissimi, sacrum hocce Ordinis tyrocinium, ad quid vos paratos accinctosque esse oportet non ignoratis. Constituenda est nempe a nobis Dominici schola servitii, in qua sub strenuo moderatoris dictamine viventes, quid Ordo a vobis exegerit, ad quid regula et monasterii statuta vos obstrinxerint, quid summae, quam professuri estis, perfectionis idea expostulaverit, ita doceamini, ut nec ambitus, nec gravitas officiorum vos lateat, nec nullus in posterum excusationi locus relinquatur. Verum cum omnis institutio et cognitio, si nullum ei exercitium jungatur, manca quodammodo et inchoata remanet: omnes vestrae actiones illis simul circumscriptae atque adcomodatae sint legibus, ad quas ceu normas inviolabiles tum intellectus, tum voluntas, tum omnis vitae vere monasticae ratio nunquam non dirigatur et quasi ad trutinam revocetur, necesse est.

Si quid ergo in observantiis regularibus rigidum, si in servandis ac exequendis votis quid asperum, si in strenuo proficiendi studio durum quid inveniatur et tale, quod sensualem offendere naturam ejusque ordinem ac jura

perturbare videatur, vestrum erit, filii dilectissimi, illud cum spiritus fervore in vos suscipere ac mente alacri et simplici corde adimplere, ut hac ratione mature discatis, angustam mandatorum Dei currere viam viresque metiri, explorantes, quid humeri ferre valeant, quidve recusent.

Quod exercitium, ut justo ordine fiat, utque nec ulla pars officiorum vestrorum vos lateat, in sequentibus totius vestrae, quae nunc sit, vitae regulas praescripsimus.

CAPUT I.

De conversione morum.

Fundamentum perfectionis religiosae est „conversio morum“. Priusquam enim homo libera ad Deum mente assurgere seque cum omnibus suis viribus ipsi immolare queat, a mundi servitio et omni vana ejusdem conversatione solutus sit oportet. Hocce renovationis officium ecclesia praesignificans, vobis, dum S. Ordinis vestibus indueremini, acclamabat: Exuamini veterem hominem cum omnibus actibus suis et induamini novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Quod opus gravissimum, ut prospero gaudeat successu, in recta cognitione sui ipsius incipere et humili contritione proficere et confessione denique sacramentali et continuo adversus reluctantem naturam certamine perfici debet.

Quorum respectu sequentia statuenda decrevimus, et quidem:

1) Cum ad obtinendam perfectam sui ipsius cognitionem, quae est conditio sine qua non, omnis conversionis, requiratur frequens disquisitio status nostri moralis, omnes Novitii praesente, si fieri potest, Magistro, bis per diem et quidem ante prandium et precibus vespertinis terminatis severum conscientiae examen in ecclesia coram Sanctissimo invocato Spiritu S. auxilio instituunt, serio recogitantes, ad quid venerint, et quomodo huic vocationi per omnes elapsas horas tum cogitatione tum verbo et opere satisfecerint.

2) Quotidiano huic exercitio frequens jungatur usus Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae. Cum his post primum illud regenerationis lavacrum nullum omnino majus virtutis subsidium, nullum firmiter infirmitatis fulcrum, atque fortius contra iminentes hostis incursus propugnaculum inveniatur; nemo dubitet, quin omnes, qui flagranti conversionis studio tenentur ad haec sacramenta suscipienda iterum iterumque accedere debeant. Quapropter vestigiis antiquorum insistentes ordinamus, ut Novitii omni hebdomada peccata sua sincere confiteantur, (Ritual. Cist. Lib. III. c. 9) atque sacra synaxi reficiantur. Ne autem, quod in animi salutem ordinatum est, per defectum praeparationis in ipsius interitum vertatur, R. P. Magister doctrinam ecclesiae de utroque Sacramento Novitiis solide exponet curabitque, ut se ad suscipienda haec Sacramenta debito modo praeparent.

Quum denique ad feliciter subeundum

conversionis negotium omnia fere huc redeunt, ut vitiorum semina radicitus evellantur, totiusque mundanae conversationis vincula penitus disrumpantur, omnes Novitii in exercitiis spiritualibus generalem totius vitae confessionem coram sacerdote extraordinario peragant, in cujus recta illam faciendi methodo R. P. Magister eos instituet.

3) Operi conversionis coronidem imponet continuum adversus reluctantem naturam certamen. Quamdiu enim hac mortalitate induti sumus, corruptae naturae concupiscentias, mundi laqueos atque infernales diaboli impetus nunquam non experiemur. „Credite mihi, inquit S. Bernardus et putata repullulant et effugata redeunt, et reacenduntur extincta et sopita denuo excitantur.“ — Quapropter Spiritus S. nos omnes, vos praesertim ceu spiritualis vitae novitios admonet dicens: „Fili accedens ad servitum Dei sta in justitia et praepara animam tuam ad tentationem.“ Quod gravissimum, ut eo facilius subeatis, certamen, quaedam vobis subsidia proponenda statuimus:

a) Prima conversationis vestrae lex est: „Vigilate“. Militem enim providum et armatum nullus opprimet hostis. Cum autem animus, nisi continuo excitetur, ignavia abreptus ad terrena et sensualia magis quam ad spiritualia inclinet: omnes Novitii quotidie post peractam meditationem sententiam et propositum tamquam fructum meditationis sibi inscribant, menti continuo ita imprimendum, ut eodem quasi carbone candante excitati, mente alacri et cum gaudio spiritus, sanctum vocationis vestrae pensum absolvatis.

b) Alterum, quod vobis incumbit, sunt frequentes ac piae ad Deum preces. Quidquid enim sumus, per gratiam sumus. Divino hoc destitutus auxilio, homo nec velle nec incipere nec perficere potest, quod debet. Quare paterne vos exhortari ac obsecrare non supersedemus, ut praeter officium Divinum ac ceteras vobis injunctas preces saepius interdum ad Deum recurratis ardentibus suspiriis expostulantes, ut Ipse Pater Luminum vos visitare ac confortare illamque vobis largire dignetur perseverentiam, quae sola meretur coronam triumphalem.

c) His accedat oportet continuum ac flagrans perfectionis desiderium. Quo ardentius enim quid desideramus, eo majori impetu irruimus in hostem nos impugnantem. Servo Dei, inquit S. Bernardus, aut semper proficiendum aut deficiendum est, aut sursum nititur aut in inferiora urgetur.“

d) Plurimum denique ad feliciter decertandum valet frequens sui ipsius mortificatio. Nam qui ab illicitis sibi temperare vult, licitis prius carere, eaque sibi denegare didicerit, necesse est. Prout corporis ita et spirituales hominis vires non nisi continuo rectoque usu dexteritatem et robur accipient. Hoc est illud exercitium, filii dilectissimi, quo omnes omnino Sancti, carnem cum ejus concupiscentiis crucifigentes, praeclara Dominicae passionis vestigia secuti sunt; via haec plane regalis atque coelestis, qua incedentes majores nostri in summa pacis tranquillitate immortales martyrii coronas meruere. Quapropter, ut aditum vobis ad sacram hanc militiam comparemus, volumus et

statuimus, ut omni feria sexta R. P. Magistrum adeatis petitori humillime mortificationem, quam singularibus vestris indigentis adaptare nunquam praetermittet. Volumus praeterea, ut ad superbiae pruritus reprimendum Novitii lectisternia sua prout et cellam Novitiatu ipsimet componant, quam postremam etiam unus post alterum bis per hebdomadam, nempe feria IV. et Sabbatho, post meridiem persolutis Vesperis scopis mudent. Statuimus denique, ut Novitii dies jejuniorum secundum praescriptum Ecclesiae conscientiose observent.

Absit autem, ut his exercitiis officio mortificationis jam satisfecisse arbitremini. Unusquisque enim vestrum in abscondito cordis quotidie se abnegare et praeprimis contra illud vitium, quod prae aliis in ipso arcem tenet, majori conatu pugnare seque exercere satagat. A parvis et minutis incipiunt, qui maximis potiuntur. Sic etiam vestrum mortificationis studium a minimis exordietur, ut progrediente tempore ad majora assurgere valeatis. In omnibus vero, filii dilectissimi, monente S. Bernardo ita totis viribus laboretis, ut non de vestris laboribus, sed de Dei auxilio confidatis. Hoc enim modo ad puritatem cordis et ad plenitudinem virtutum valebitis Christo adjuvante pervenire.

CAPUT II.

De observatione votorum.

Tria sunt essentialia, quae Ordinem quemlibet religiosum constituunt, obedientia,

paupertas et castitas. Quae cum triplici illi corruptioni, quae secundum S. Joannem omni dominatur naturae, concupiscentiae scilicet carnis, concupiscentiae oculorum, et superbiae vitae e diametro adversentur: omnes, qui inde a temporibus Apostolorum perfectionis fastigia ascendere anhelarunt, haecce consilia ceu totidem virtutis altioris fulcra amplectenda esse nunquam dubitarunt. Quo gravius autem horum consiliorum momentum, quo sanctior votorum obligatio, eo magis jam in hisce probationis vestrae tyrociniis, ut eadem exercere et stricte servare discatis, necesse est. In quorum finem sequentia vobis proponenda decrevimus et quidem:

1) Respectu obedientiae sciat unusquisque vestrum, se in omnibus omnino dependere a Magistri arbitrio et voluntate, ut non solum nihil agatis sine ipsius consensu, sed in omnibus etiam ei obediatis, sicut filios decet, libenter et simpliciter, hilariter et velociter, humiliter et indesinenter. Absit, ut statuta Magistri et Superiorum studiosius discutiatis, haereatis ad singula, quae injunguntur, exigatis de quibusque rationem et male suspicemini de omni praecepto, cujus causa latuerit, nec nunquam libenter morem geratis, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio vel indubitata auctoritas. Talis enim obedientia nulla est coram Deo. Verum non solum superioribus, sed etiam vobis invicem obediatis, necesse est. Quare reprobantes omnem altercationem et repugnandi libidinem ceu filiam superbiae volumus, ut alter alterum ceu fratrem amore pro-

sequatur, supportantes vos invicem et concitantes ad implendum, quod elegistis vocationis officium. Volumus denique ut R. P. Magister hanc obedientiam in Novitiis quovis modo probare, huncque in finem vanam complacentiam atque superbiae studia severa coërcere disciplina nunquam paetermittat.

2) Paupertatem quod attinet, sancto Regulae praecepto quilibet vestrum se ita obstrictum sentiat, ut nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas neque graphium proprium habere praesumat; cum nec corpora nec voluntatem liceat habere in propria potestate. Idcirco majorum nostrorum vestigiis inhaerentes volumus, ut omnis pecunia Novitiorum apud R. P. Magistrum deponatur, nec ullus quid emere aut vendere aut mutare vel alicui donare, sicut et dona quaepiam, etsi sint minima, ab aliquo recipere audeat sine expresso Magistri consensu et auctoritate.

Verum cum teste S. Bernardo non paupertas, sed paupertatis amor religiosae indicium sit perfectionis, his praeceptis, etsi ad amissim impletis, nihil plane meriti vobis accreverit, nisi spiritu paupertatis succensi omnem et sub quocumque respectu habendi cupidinem perfecte exuatis. Non enim res, sed libido, qua desideratur et possidetur, maculat animam. Saepius, qui maximis cum gaudio spiritus renuntiant, in minimis haerere, deprehensi sunt. Quapropter ad excitandum et fovendum hunc paupertatis spiritum volumus, ut R. P. Magister, consulto aliqua vobis denegando vel subtrahendo vestram a rebus quibuscunque terrenis libertatem explorare non negligat.

3) De castitate corporis et munditia cordis plura vobis praescribere eo magis superseedere licet, quominus thesaurum istum omnes in vasis fictilibus portare non ignoratis. Quo pretiosius hoc donum, quo propius periclitandi periculum, quo plures et atrociores id impugnant hostes, eo majori sollicitudine, ut vigilemus et indesinenter certemus, necesse est. Quapropter paterne vos obsecramus et quantum possumus obtestamur, ut continuo considerantes sublimitatem vocationis vestrae, qua estis genus Dei electum, haereditas sancta, populus acquisitionis et regale sacerdotium, sacro quodam timore omnia etiam minima declinetis, quae mentis virgineae violarent integritatem. In hac enim arena principiis obstare jam victoria est. Illud denique, filii carissimi praeprimis persuasum habeatis, angelicum hoc donum nunquam de coelo descendere, nisi devocatum ferventi et non intermissa oratione. Quotiescunque ita divino officio adstatis, vel ad Missarum solemniam ministratis vel praesentem in Sanctissimo adoratis Salvatorem, nihil est, quod hac precatione prius, quod antiquius habere debeatis.

C A P U T III.

De opere Dei et pietatis exercitiis.

1) Primarium vocationis vestrae pensum, cum ex regulae praescripto sit officium divinum, vestrum erit, filii dilectissimi, summo cum fervore ad illud persolvendum accedere. „Maledictus enim, qui facit opus Dei negligenter“.

Quapropter ecclesiam vel oratorium ingressuri ad exemplum S. Stephani cogitationes depontatis ad ostium, considerantes vos ad celebrandam divinae Majestatis gloriam in conspectu ipsius Dei et angelorum advenisse. Aspersi deinde aqua benedicta factaque coram Sanctissimo profunda genuflexione ad chorum accedentes animum praeparetis ad orationem, ut non sitis tamquam homines, qui tentant Deum. Ad orandum et psallendum state cum summa reverentia et disciplina sicut poenitentes decet, oculis demissis, manibus, nisi fors occupatae fuerint, lingua tectis, omniaque sedulo et ex industria observantes, quae de ceremoniis et methodo psallendi tum in rituali, tum in institutione S. Bernardi de modo psallendi praescribuntur, quae posterior, ut eo citius memoriae mandetur, omni Sabbatho in Novitiatu praelegatur.

2) Praeter ordinarium hoc operis Dei pensum, omnes Novitii ad persolvendum Officium B. M. V. tenentur; sicut et ad officium defunctorum, quando ejus persolutio in directorio assignatur.

3) In decursu anni omnes Novitii pro defunctis fratribus et benefactoribus secundum Ordinis statuta decem psalteria, pro quolibet vero sacerdote, si e vita discesserit, unum psalterium persolvant.

4) Quotiescunque officium mensis vel anniversarium celebratur, Novitii psalmos poenitentiales flexis genibus recitare tenentur.

5) Omni die dominica et festiva ad cantata Missarum solemniam et quotiescunque Reverendissimus Abbas in ecclesia celebrat, No-

vitii sacrum ad altare ministerium habent. Accedant autem ad tremendum hocce mysterium summa cum devotione, reverentia et gravitate scientes se Domino tamquam Angelos deservire.

6) Quotiescunque Sanctissimum ad fratrem infirmum, deferendum est, Novitii statuto ad provisionem tempore in sacristia congregati superpelliceis induti accipiant duo candelabra cum cereis accensis, duas campanulas, vas aquae benedictae et librum rituum. His intructi procedunt cum sacerdote ad aram, ubi omnes flexis genibus expectant Sanctissimum adorantes. Tunc praecedentes sacerdotem processionaliter gravi incessu petant cubiculum infirmi, campanulas quatientes. In via omnes orant psalmos poenitentiales, ad ostium praecedentes Psalmodiam et dicentes: Gloria Patri etc. In infirmatorio omnes genuflectentes coram Sanctissimo dicant cum infirmo: Confiteor. Provisione finita eodem ordine redeant in sacristiam.

7) Cum denique Christus Jesus aeternus mediator inter Deum et homines ineffabili prorsus charitatis suae affectu in Sanctissimo diu noctuque praesens sit Sacramento: jure omnes, qui christiano nomine censentur, nos vere praesertim ceu filiorum dignitate speciali modo ornatos, saepius ad illum accedere decet, candidam animi devotionem, piaque sensa atque homagia ipsi oblaturus. Quanti et quam salubres, filii charissimi, ex frequenti hac visitatione redundant in animam salutis fructus incredibile est fere dictu. Hic enim teste S. Bernardo omnes coelestis gratiae fontes aperiuntur, hic gustantur gaudia et spirituales deliciae Sancto-

rum, hic illa sancta et intima unio animae cum Christo identidem renovatur, atque mirabiles prorsus luminis roborisque coelestis vires in ipsam diffunduntur: Animalis quidem homo horum sensu non fruitur, ast omnes timorati, vereque religiosi viri gustaverunt et plenissime experti sunt, quod dicimus. Ideoque, filii dilectissimi, accedite ad Salvatorem vestrum in augustissimo Sacramento vere, realiter et substantialiter praesentem, intimas illi gratias referentes pro ineffabili, qua prius dilexit vos charitate, pro stupendo redemptionis vestrae pretio, pro insigni plane vocationis beneficio, cordaque ac intima animi viscera effundentes coram illo omniaque ab illo expostulantes, quibus vos indigere senseritis. Volumus autem ut hoc exercitium quotidie ante prandium et ante Coenam per quadrantem institutur.

CAPUT IV.

De regularibus observantiis.

§. 1. De quotidiana meditatione et spiritali lectione.

Difficile imo plane impossibile esse, ut quis absque quotidiana meditatione in vocationis officio steterit, aperte testatur S. Alphonsus de Ligorio. Et profecto, filii dilectissimi, nisi continuo animus ad sublimiora erigatur, nisi veritates illae coelestes in memoriam revocatae, quasi in speculo identidem ipsi objiciantur, eumque moneant de aeterna, qua incedamus oportet via, nisi iteratis vocis dominicae igni-

bus accendamus et quasi vulneremur; pristinum illum fervorem pedetentim frigescere, evanescere gratiam, exurgere hostes, proelia amissa, fructum laborum deperditum, nosque totos aquae praecipitis instar ad ima mox devolutos videbimus. Quapropter Spiritus S. nos omnes adhortatur, dicens: Memento novissimum et in aeternum non peccabis. Permoti his rationibus conformiter statutis Ordinis nostri volumus, ut Novitii quotidie meditationem super materia a R. P. Magistro assignata omni, qua par est, animi attentione instituunt. Sicut autem meditatio ita et quotidie non desit lectio spiritualis. Ea enim teste S. Bernardo docet, quid facias, discernit, quid caveas, ostendit, quod tendas. Ut autem hunc usum praestet semper a vobis recta intentio servanda est. „Qui enim, inquit idem doctor, in lectione Deum quaerit, omnia, quae legit, cooperantur ei in bonum et captivat sensus legentis et in servitudinem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si autem in aliud inclinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum, nihilque tam piū invenit in scripturis, quod seu per vanam gloriam seu per distortum sensum seu per pravam intellectam non applicet vel malitiae vel vanitati“. Ne autem per libros profanos animus ad res fini hujus vestri tyrocinii minus congruentes abducatur, stricte prohibemus durante Novitiatu omnem lectionem librorum, qui de aliis quam spiritualis vitae materiis agunt, quos posteriores R. P. Magister semper vobis providebit.

§. 2. De exercitiis spiritualibus.

Secundum Ordinis statuta omnes Novitii in decursu anni per tres dies exercitia habeant spiritualia, eum in finem, ut praeteritae vitae momenta discutientes atque meditantes de status monastici sanctitate ejusque officiis vocationem suam ad obrussam exigant seque, si steterint ad penitus derelinquenda omnia terrena atque ad sectandam vitam vere evangelicam charitatis ardore inflamment.

Volumus autem, ut haec exercitia dirigente R. P. Magistro ceu patre spirituali secundum normam a S. Ignatio praescriptam habeantur, utque Novitii per hos dies praeter obligationem ad chorum ab omnibus reliquis negotiis et officiis prorsus soluti in profunda corporis mentisque solitudine in cella versentur.

§. 3. De solitudine et silentio.

Ad exercitandum excitandum et fovendum devotionis et compunctionis spiritum nihil est, filii charissimi, quod silentio ac solitudine aptius inveniatur. Qui enim saeculi vanitates vanasque hominum fugiens confabulationes interiori contemplatione sciverit mentis oculos occupare, Deum in animi secretis audiet loquentem. „Praeclara res est silentium dicit quidam Sanctus, nihilque aliud est, quam mater sanctissimarum cogitationum“. Non amare silentium sed, exterioribus gaudere colloctionibus signum certissimum est, ut ait S. Bernardus, animae sensualis, quae ad collucationem divinam nulla penitus devotione levatur“. Quantum praeterea, filii dilectissimi, periculum sit

lingua non excidendi, difficile est dictu. Manifestum enim est, inquit S. Bernardus, quod in multiloquio teste Spiritu S. non deerit peccatum, sed paulatim ab otiosis verbis ad detractationes venit, donec tandem ad apertas contumelias prorumpatur. Hunc loquendi pruritus arguens Apostolus dicit: „Si quis putat, se religiosum esse, non refrenans linguam hujus vana est religio.“ Unde sanctissimi Ordinum institutores et eorum sequaces sapientissime, sicut a Spiritu S. docti fuerant, districte et sub gravibus poenis observationem silentii praeceperunt, quorum vestigiis inhaerentes et nos secundum Ordinis statuta sequentia vobis decrevimus praescribenda:

a) Servetur sacrum silentium perpetuo in omnibus locis regularibus, quae sunt ecclesia, sacristia, ambitus, Capitulum.

b) Semper et ubique stricte servetur a precibus vespertinis usque ad horas sequentis diei. Si quis hoc tempore aut in dictis locis regularibus, ex aperta necessitate aliqua re indiget, submissa voce et breviter petat.

c) Cum fratribus et sacerdotibus sub quocunque praetextu loqui aut eorum cellas adire, penitus sit interdictum.

d) Durante hoc tyrocinii tempore omne epistolarum commercium mutuusque usus prohibetur, excepto casu necessitatis, ubi R. P. Magistri licentia petenda est, cujus erit, causae gravitatem examinare. Omnes praeterea litterae tum advenientes tum mittendae deferantur ad R. P. Magistrum, qui easdem legere tenetur, priusquam sigillo obsignet, vel Novitio tradat.

e) Sub nullo praetextu Novitiis liceat horis diurnis studio et labori destinatis extra Novitiatum vagari simulque omnino interdicitur, ne tempore vespertino aut nocturno excepto casu necessitatis cellam Novitiatu deserant; et hunc in finem R. P. Magister saepius circum eat et sedulo indaget, num huic statuto satisfaciant.

f) Tempore Novitiatu nulla visitatio a parentibus vel consanguineis nisi cum licentia R. R. Abbatis locum habeat. Si hac licentia muniti advenerint, non loquantur cum Novitiis, nisi praesente Magistro.

g) Interdictus sit omnis ad portam aditus vel ex porta exitus inscio et non comitante Magistro. Prout ipsi visum fuerit, interdum corporis animique relaxandi causa cum Novitiis excurret, quod tamen non ultra duas vices per hebdomadam extendatur.

h) In dispensationibus post coenam non remaneant in refectorio, nisi cum licentia Magistri, quae raro et non ultra horam nonam concedenda est; cum religiosis tamen in his dispensationibus non loquantur, nisi fors interrogati fuerint, ubi modeste et breviter respondeant; nullo vero sub praetextu loqui praesumant cum saecularibus.

§. 4. De occupationibus Novitiorum.

Quamquam officia, quibus satisfacere vocationis necesse est, magnam diei partem consumant, tempus tamen remanet, quod ut salubri strenuoque labore expleatur, tum terrenae tum aeternae ratio salutis expostulat. Omnium enim tentationum et cogitationum

malarum et inutilium sentina est otium. Ne autem mens per studia fini hujus tyrocinii minus conformia distrahatur vel omnino ad terrena relabatur, quaedam praescribenda statuimus, e quibus R. P. Magister pro circumstantiis temporum et indigentis vestris tradenda sibi eligat. Primum locum jam sibi vindicat explanatio S. Regulae et Rituum Ordinis, sequitur deinde studium religiosae asceseos atque historiae Ordinis, e quibus, ut majori diligentia ipsi incumbatis, R. P. Magister saepius examen instituat. Accedunt deinde studium doctrinae ecclesiae catholicae, prout ea in Catechismo Romano vel Canisii exposita invenitur, explanatio psalmodum, lectio denique cursoria Bibliorum N. T. et exercitatio in lingua latina et cantu choralis Caveatis autem, filii dilectissimi, nedum exterius tempus et vires utiliter impendere videamini per obliquam vel plane perversam intentionem omnem laboris et sudoris fructum coram Deo perdati. „Quodcumque enim quis agit“ inquit S. Bernardus, „si propter hoc non agit, ut Deo serviatur, in eo, quod agit, non tantum otiari, sed idolis servire dicendus est.“

§. 5. De conversatione externa.

Omnis vestra, filii charissimi, conversatio externa ad regulas honestatis et modestiae composita sit oportet. Vester sermo aspectus et incessus semper sit serius, gravitate plenus, modestus, omnis tum insolentiae tum levitatis expers. Quo ardentius desideratis, ut habeamini adolescentes pleni studio christianae perfectionis et scientiae, eo majori sollicitudine vos singulis vestris actionibus imo et verbis invigilare oportet. Ceterum, ut in his probe in-

stituamini, R. P. Magister regulas modestiae saltem omni mense vobis praelégere atque defectus commissos, si, quod absit frustra moniti fueritis, etiam poenis castigare non praetermittat.

CAPUT V.

De ordine diurno.

Omnia, inquit Apostolus, honeste et secundum ordinem fiant. Venerantes hoc monitum Apostolicum et recogitantes, quantum certus rectusque in rebus gerendis ordo ad internam etiam conferat rectitudinem, talem in sequentibus statuere necessarium duximus.

Tempore hyemnali.

Ante Meridiem.

- Hora $\frac{3}{4}$ 5 surgitur de lecto, inter pia suspiria,
,, 5 Preces matutinae, et meditatio.
,, 6 Sacrum, in quo Novitii R. P. Magistro ministrabunt.
,, $\frac{1}{2}$ 7 Tempus liberum.
,, 7 Horae minores Officii Mariani (privatim cum Mag.)
,, $\frac{1}{2}$ 8 Horae minores Canonicae in choro.
,, 8 Notatio luminum et fructuum meditationis.
,, $\frac{1}{2}$ 9 Lectio et Expositio Regulae, Rituum Ordinis et Rubricarum Brevarii.

- Hora 9 Novitii intersint Missae in oratorio.
,, $\frac{1}{2}$ 10 Studium.
,, $\frac{1}{4}$ 11 Tempus liberum (Deambulatio in horto).
,, 11 Lectio spiritualis.
,, $\frac{1}{2}$ 12 Visitatio S. S. Sacramenti et Examen conscientiae particulare.

A. meridie.

- Hora 12 Prandium.
,, $\frac{1}{2}$ 2 Vesperae canonicae in choro.
,, 2 Vesperae officii B. M. V. (privatim cum P. Mag.)
,, $\frac{1}{2}$ 3 Studium.
,, 4 Lectio spiritualis per mediam horam.
,, $\frac{1}{2}$ 5 Tempus liberum.
,, $\frac{1}{2}$ 6 Matutinum cum laudibus Officii B. M. V., postea adoratio S. S. Sacramenti.
,, $\frac{1}{4}$ 7 Matutinum cum laudibus officii canonici.
,, 7 Coena.
,, 8 Instructio in cantu choralis.
,, $\frac{1}{2}$ 9 Preces vespertinae cum examine conscientiae, dein expositio aut lectio Materiae meditationis sequenti die mane instuendae.
,, 9 Quies nocturna.

Tempore aestivo.

Idem ordo qui hyeme, exceptis sequentibus paucis mutationibus.

Ameridie ab hora $\frac{1}{2}3$ usquo 5. studium, a 5. usque 6. tempus liberum (deambulatio in horto) a 6. usque $\frac{1}{2}7$ Lectio spiritualis a $\frac{1}{2}7$. usque 7. Matutinum cum Laudibus officii Mariani (privatim cum Magistro) et adoratio S.S. Sacramenti. $\frac{1}{4}8$ Vigiliae canonicae cum Laudibus. Hora 8. Coena. Hora 9. Preces Vespertinae cum examine conscientiae, postea Quies nocturna. — —

Haec sunt, filii charissimi, quae ceu statuta tyrocinii Ordinis vestri vobis proponenda decrevimus. Scitis igitur viam, qua incedatis oportet, scitis magna, quae expostulantur conamina, non latent difficultates, non pugnae et certamina, non latent etiam victoriae et coronae, quibus decorantur, qui perseveraverint usque ad finem. Vae vobis, si terrenis et temporalibus capti desideriiis manus profanas in sancta sanctorum mittatis! Illa dies interitus vestri erit natalis. — Si autem ardenti fervore et cum gaudio Spiritus in angustum hujus tyrocinii studium ingrediamini mox, testante ipso S. Benedicto, processu conversationis et fidei dilatato corde inenarabili dilectionis dulcedine curretis viam mandatorum Dei et ipsi experientes, quam suave sit iugum Domini, quam leve onus.

Confortate ergo cor vestrum, filii charissimi, et viriliter agite! Licet lubricum et durum sit iter, de auxilio tamen Domini confidite! Deus enim, a quo omnia procedunt, sanctis propositis vestris benedicet, et vos confortabit, ut in charitate ipsius radicati et fundati in fide a bundetis et crescatis per omnia in illo, qui est caput Christus benedictus in secula.

Volumus, ut haec statuta omni tertio mense in Novitiatu praelegantur.

Datum ad Sanctam Crucem 1857.

Edmundus,

Abbas.



PRECES MATUTINÆ.

Cum Deus sibi specialiter complacet in oblatione primitiarum, gratissimæ ipsi erunt primitiæ nostrarum cogitationum, verborum et actionum ejuscunquæ diei, quæ etiam plurimis titulis ipsi debentur. Quapropter cura diligenter, ut primam cogitationem in Deum dirigas, prima verba primumque opus ipsi consecres: hæc autem tria facile præstabis, si eo ipso, quo evigilas, signo sanctæ crucis frontem, os, et pectus signes dicendo ex toto corde: **In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.**

Eadem actione omnes diei cogitationes, verba et opera Deo offerre et consecrare potes: cogitationes, dum signas frontem; verba, dum signas os; et actiones, dum signas pectus.

Deinde devote dic: **Deus, Deus meus, ad te de lucè vigilo.** — Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. — **Benedicta sit sancta Trinitas, nunc et semper et per infinita sæcula sæculorum. Amen. Gloria Patri, qui creavit nos. Gloria Filio, qui redemit nos. Gloria Spiritui Sancto, qui sanctificavit nos.**

Ad sonum campanulæ te velociter e strato proripe; a celeri enim promptaque surrectione matutina, ut ait Card. Bona. ex ord. Cist., dependet visitatio divina totiusque diei fervor et alacritas.

Inter surgendum dic: **In Nomine Domini nostri Jesu Christi surgo, ipse me benedicat, regat, custodiat et ad vitam æternam perducat. Amen.**

Dum te induis, variis aspirationibus corpus, animam et sensus omnes Deo commenda dicendo:

Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ps. 50.

Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis. Ps. 140.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Cant. 2.

Non extendam ad iniquitatem manus meas. Ps. 124.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Ps. 118.

Eripe pedes meos a lapsu. Ps. 114.

Dum lavas manus et faciem, munda et cor per iteratos actus contritionis et dic:

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo tuo.

Asperges me hyssopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor.

Ad habitum. Domine Deus, qui me de periculis hujus mundi ad Statum Religiosum evocasti, ut veterem hominem cum actibus suis exuerem tibi in sanctitate et justitia servirem, da, ut sicut exterius corpori meo religiosam hanc vestem induo, sic etiam interius animam meam virtutibus tibi placitis exornem.

Ad Cingulum. Præcinge me, Domine, cingulo puritatis et justitiæ, ut a peccatorum vinculis absolutus inter eos connumerari merear, qui cum lucernis ardentibus lumbisque præcinctis tibi coelesti sponso obviam olim procedent, ut ad nuptias agni te duce deducantur.

Ad Caputium. Tège, Domine, caput sensusque meos tegumento salutis, ut ab omnibus hujus mundi vanitatibus aversus in te solo cor animumque defigam.

Stato dein tempore attente et devote sequentes preces flexis genibus recita:

1. Adoro et veneror te, o sanctissima Trinitas! Te laudo, glorifico, benedico ac totum me ante thronum majestatis tuæ humillime prosterno. Tibi gratias ago pro universis beneficiis ac nominatim, quod te protegente noctem hanc incolumis transegerim. O! quam multi peccatores eadem hac nocte mortui et merito suo æternum sunt damnati! Quid tibi, o summum bonum, rependam, quod me tam singulari amore dignatus es? Tu quaeso, o piissima mater castissimaque Virgo Maria, tuque, o Angele custos et vos Patroni mei N. N. laudate et glorificate Dominum nunc et semper. Amen.

2. O Pater æterne, tibi cor et omnes animæ vires corporisque sensus, et quidquid in me est, lubens, volens offerro. Suscipe me creaturam tuam omniaque mea in unione dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu Christi. O Pater, quando veniam et apparebo in conspectu tuo?

3. O dulcissime Jesu, qui es via, veritas et vita, te aspirante firmiter statuo ardenti corde viam mandatorum tuorum currere, probi Religiosi partes explere, consueta pietatis munia conscientiose obire, virtutem castitatis et obedientiæ potissimum sectari, universa denique et singula in tuo nomine facere et pati. Suscipe, o Jesu, hanc voluntatem meam tuisque infinitis meritis defectus meos supple.

4. Veni, sancte Spiritus, solatium atque robur animæ meæ, ut cunctis tentationibus fortiter resistam et præprimis, ut in hoc peccatum N. sciens ac volens non incidam. Constantem ab hac die emendationem spero; gratiæ tuæ ope mihi assiste, o S. Spiritus, ita super

aspidem et basiliscum ambulabo et conculcabo leonem et draconem.

5. Adeste mihi pariter, o electi Dei omnes, bonis favete propositis; o sancta Dei Genitrix, Virgo Maria, unacum castissimo sponso tuo sancto Josepho, et tu, sancte Angele fidelis mei custos, vosque pariter, sanctissimi Confessores Domini, Benedicte, Bernarde, Roberte, Stephane alique Patroni Ordinis Nostri, impetrate mihi gratiam, ut cuncta, quæ apud me statui, re ipsa exequi, et in sanctissima religione tam sancte vivere possim, quatenus ad vestrum consortium in coelis pervenire merear. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo.

Benedic me, pie Jesu, cum Patre et Spiritu Sancto omni benedictione coelesti; ut secundum te vivam, imitatione vitæ; in te moriar, participatione gratiæ; per te coroner, communicatione gloriæ. Amen.

Aliæ Preces Matutinæ.

(A Novitiis in communi dicendæ.)

Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa unitas. Confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

V. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

R. Sicut erat in principio et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. Actiones nostras quæsumus aspirando præveni et adjuvando proseguere, ut

cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quid retribuamus tibi, Domine, pro omnibus, quæ largitus es nobis? Tu Deus omnipotens et misericors de terra plasmasti corpus nostrum et animam immortalem dedisti nobis, ut te cognoseamus, te adoremus, te diligamus et ad coelestia regna perveniamus. Tu es creator, conservator et gubernator noster, qui das escam in tempore opportuno, qui res secundas æque ac adversas ad salutem ordinas, qui nos filios indignos singulari amore protegis et angelis tuis mandasti, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. Ex eodem tuo erga nos amore Filium tuum unigenitum misisti in hunc mundum, ut se pro nobis in mortem traderet et nos redimeret a peccatis nostris. Justificasti nos gratis per gratiam tuam mundans nos lavacro regenerationis et renovationis Spiritus Sancti. Vocasti nos ad Statum Religionis, ut semoti a periculis mundi tibi omnibus diebus vitæ nostræ fideliter serviamus. Tot tantaque sunt beneficia, quibus servos tuos cumulasti.

Quibus operibus infinitam tuam erga nos clementiam mereri conati sumus? Usque in hanc diem, Deus, mala retribuimus pro bonis. Sed ab hoc temporis momento omnibus enitemur viribus, ut neglecta compensemus, vitia corrigamus, inordinatas cupiditates refrenemus et officia status nostri exacte impleamus. Scimus, Domine, quia breves sunt dies hominis; constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt; de mane usque ad vesperam finies eum. Da ergo, ut hodiernum diem ita transiga-

mus, sicut in hora mortis transegisse exoptabimus.

Salva nos virtute brachii tui, ut ad nullum declinemus peccatum, sed ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Fac nos veri nominis Religiosos, qui legem tuam die ac nocte meditentur et observent. Sanctifica corda nostra virtute Spiritus Sancti, ut simus templum Dei vivi et ut in integritate vitæ ambulantes Electorum tuorum numero accenseri mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sancta Maria (*reliqui prosequuntur*) succurre miseris — juva pusillanimes — refove debiles — ora pro populo — interveni pro clero — intercede pro choro monachorum — exora pro devoto femineo sexu — sentiant omnes tuum juvamen — quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

Ÿ. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium, ut, qui sanctæ Dei genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Angeli, Archangeli (*ceteri prosequuntur*), Throni et Dominationes, Principatus et Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim atque Seraphim, Dominum benedicite in æternum.

Ÿ. Laudate Dominum omnes Ageli ejus.
R. Laudate eum omnes Virtutes ejus.

Oremus. Exaudi nos, quæsumus Domine, sanctorum Angelorum commemoratione lætan-

tes et concede, ut eorum protectione ab hostium jugiter liberemur insidiis et contra omnia adversa muniamur.

Beatus Bernardus (*reliqui prosequuntur*) ab infantia spiritum sortitus est bonum, per quem erat puer docilis et amabilis valde.

V. Ora pro nobis, beate Bernarde,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Perfice, quæsumus Domine, pium in nobis sanctæ religionis affectum et ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem beatus Bernardus Abbas et Doctor egregius suis apud te semper pro nobis meritis et precibus intercedat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo.

Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super nos et maneat semper. Amen.

Ad Signum salutationis Angelicæ.

Mane, Meridie et Vespere.

Angelus Domini nuntiavit Mariæ et concepit de Spiritu Sancto. Ave Maria etc.

Ecce ancilla Domini! fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria etc.

Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Ave Maria etc.

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui angelo nuntiante Christi filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

1) *Indulgentiæ 100 dierum toties, quoties Angelus Domini recitatur.* 2) *Indulgentiæ plenariæ singulis mensibus semel lucrandæ ab iis, qui saltem semel + eam orationem per mensem ad sonitum campanæ recitant, modo illa die, qua cupiunt lucrari indulgentias plenarias, omnibus consuetis conditionibus satisfaciant; scilicet vere poenitentes et confessi S. S. Eucharistiæ sacramentum sumpserint, ac pro christianorum Principum concordia etc. pias preces fuderint.*

Observandum semper, flexis genibus recitandam esse hanc orationem, excepta die sabbathi ad vesperam et tota die dominica; tum enim recitari debet stando.

Tempore Pasch. loco Angelus Domini recitatur stando cum eodem lucto indulgentiarum Antiphona:

Regina coeli lætare, alleluja. — Quia, quem meruisti portare, alleluja. — Resurrexit, sicut dixit, alleluja. — Ora pro nobis Deum, alleluja.

V. Gaude et lætare, Virgo Maria, alleluja.

R. Quia surrexit Dominus vere, alleluja.

Oremus. Deus, qui per resurrectionem filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum lætificare dignatus es: præsta, quæsumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Actus Virtutum Theologicarum.

Fides. Firma fide credo te Deum esse, unum in essentia, trinum in personis; credo

filium Dei Jesum Christum incarnatum, passum pro nobis et mortuum; credo te remuneratorem bonorum et vindicem malorum; credo et profiteor, quæ Symbolo Apostolorum continentur, et omnia ac singula, quæ sancta Ecclesia Romano — Catholica mihi credenda proponit, quia tu Deus summa veritas es, qui ea revelasti. In hac fide et pro hac fide vivere et mori volo ac statuo.

Servetur pausa brevissima, sub qua unusquisque possit secreto dicere:

Ita est, Deus meus, credo omnia, quæ revelasti, quia tu suprema veritas es, qui propter infinitam sapientiam non falli et propter immensam bonitatem me fallere non potest.

Spes. Misericordissime Deus, spero per passionem et merita Jesu Christi, hic tuam gratiam et remissionem peccatorum, posthac vitam æternam in beatifica tui possessione, quia tu Deus meus omnipotens es, et infinite bonus erga nos ac fidelis in promissis.

Dominus, firmamentum meum et refugium meum, liberator meus, adjutor meus, sperabo in eum, non confundar in æternum.

Pausa brevissima, sub qua dicatur in corde:

Ita Domine Deus, spero vitam æternam et media ad illam, quia potes mihi illa dare, utpote omnipotens, et vis mihi dare, utpote infinite bonus erga me et fidelis in promissis.

Charitas. Amo te, Deus meus, super omnia, ex toto corde; amo te propter te et proximum meum propter te, quia in te ipso es summe bonus et ipsa bonitas infinita et ideo dignus, ut ameris ab omnibus; ament te omnes homines! laudent te omnes creaturæ! Utinam ego te, Deus, plus amarem! Vere me poenitet,

quod unquam te offenderim; jam statuo servare omnia mandata tua.

Pausa brevissima, sub qua potest dici:

Imo, Deus meus, amo te et proximum propter te, quia tu omnem bonitatem atque perfectionem in te ipso contines.

1) *Indulgentiæ 7 annorum et 7 quadragenarum toties, quoties hos actus recitaveris.* 2) *Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus lucrantiæ ab iis, qui quotidie præfatos actus per mensem recitant, modo illo die, quo lucrari cupiunt indulgentias plen., omnibus consuetis conditionibus satisfaciant.*

Actus relationis operum in Deum.

Domine Deus, omnium creator et gubernator, in quo vivimus, movemur et sumus, sine quo nihil possumus: quæcunque hodie cogitabo, loquar, agam aut patiar, omnia refero ad gloriam tuam et Domini nostri Jesu Christi.

Pausa brevis. Unusquisque recogitet singulatim illa, quæ hac die sunt agenda atque ea in Deum referat.

DE HORIS CANONICIS.

Horæ canonicæ sunt preces vocales publicæ ex præscripto canonum nomine Ecclesiæ recitandæ a personis, quibus id oneris impositum est. Dicuntur horæ, quia certis diei horis sunt persolvendæ: dicuntur canonicæ, quia juxta canones seu regulas ab ecclesia constitutas fiunt: dicuntur officium divinum, quia ad cultum Dei sunt institutæ: dicuntur Breviarium, quia continent lectiones breviores ex scripturis sacris, ex homiliis patrum in singulos anni dies distributas. — Hanc precandi methodum Spiritus Sanctus per ecclesiam ab ejus initiis

concinnavit tamque sapienter disposuit, ut nihil vel ad Dei gloriam melius vel ad nostram pietatem excitandam efficacius vel ad populi devotionem divinius institui valuerit. Dignitas et præstantia hujus publicæ orationis tanta est, ut post divinissimum sacrificium nullum dignius in ecclesia munus reperiatur: si enim illud debite persolvimus, Numen coeleste, *ut quidam vitæ spiritualis magister ait*, placamus et ad misericordiam flectimus, angelorum munus usurpamus, supernam patriam lætitia perfundimus et dæmonum ferociam cohibemus.

Ut autem divinum hoc officium debito modo persolvas, necesse est:

1) Ut te ad illud præpares. Ante orationem præpara animam tuam, *dicit Spiritus Sanctus*, et noli esse, sicut homo, qui tentat Deum Eccles. cap. 18. Est autem præparatio hæc alia remota, alia proxima. Remota consistit in corde puro et a labe gravioris peccati libero. Quid enim prodest lingua cantare hymnum, si vita exhalat sacrilegium? Proxima vero exigit, ut in exorsu sacri officii vivam Dei præsentis memoriam excites, gratiam bene orandi a Deo petas et intentionem ad laudandum Deum, ad agendas ipsi gratias, ad opem ejus implorandam, ad satisfactionem aliquam pro peccatis exsolvendam dirigas, imo ut cuilibet horæ peculiarem aliquam intentionem præfigas. Hæc præparatio adeo necessaria est, ut S. Bernardus inde omnem orationis effectum dependere dicat; ait enim Serm. 69 in cant: *Sicut tu te præparaveris Deo, ita Deus apparebit tibi in oratione tua.*

2) Ut officium ipsum persolvas: a) *reverenter* quoad locum et situm corporis aliaque externa rerum adjuncta, quæ ita disponenda sunt, ut grandi huic negotio, quod cum Deo tractas, omnino congruant. Locus proprius, si plures psallunt, est chorus, et situs corporis is, quem ecclesia præscribit; at cum solus ac seorsim precaris, genuflexus horarias preces funde (Rit. cist. Cap. L), et quidem vel in templo coram sanctissimo Sacramento inter angelos illic Regi suo assistentes eumque laudantes, vel in alia decenti parte domus, in qua nihil sit, quod dignitatem tanti muneris offendat. b) *Studiose* seu ut singula verba bene proferas, ea non truncas, non dimidies, aut celeriter pronuncies. c) *Devote*, i. e. ut recitetur officium sacrum cum intentione et attentione religiosa. Attentio ex parte objecti distingu-

tur in attentionem *ad verba*, ne aliquis erret, in attentionem *ad sensum verborum*, et in attentionem *ad Deum* et ad rem, pro qua oratur. *Attentio ad verba* est absolute necessaria; *attentio ad Deum* etc. est juxta probabiliorem sententiam, etiam ab angelico Doctore defensam, omnino procuranda, *attentio autem ad sensum verborum* non absolute requiritur, ut patet in monialibus horas canonicas recitantibus.

3. Ut in fine divini officii te conscientiose examines, num illud rite persolveris, et de defectibus forsitan commissis *sincere* doleas dicasque cum publicano percutiundo pectus tuum: „Deus propitius esto mihi peccatori;“ sunt enim hæc publicani verba ingentis virtutis et admirandæ devotionis. Tandem ut consuetas preces post officium divinum *devote* persolvas.

Ante Officium Divinum.

Aperi, Domine, os meum ad benedicendum etc. ut in Brev. pag. IV.

Directio Intentionis.

Ego intendo persolvere præsens servitutis meæ pensum ad laudem et gloriam summæ et individuæ Trinitatis et humanitatis Jesu Christi, in intellectu, quem intendit Spiritus Sanctus, in venerationem Beatissimæ Virginis Mariæ, S. Josephi, Angeli mei custodis, et totius curiæ coelestis (maxime Sancti N. cujus hodie memoria colitur); in gratiarum actionem pro omnibus mihi et ulli creaturæ collatis beneficiis, in satisfactionem pro omnibus meis et totius mundi peccatis, denique pro omnibus meis et totius Ecclesiæ necessitatibus, in specie autem N.

Quidam sacerdos horariis precibus has intentiones sane pias præfixit.

Preces matutinas dico in honorem sanctissimæ Trinitatis pro conversione omnium in peccato lethali existentium.

Laudes recito in honorem omnium sanctorum Angelorum, pro omnibus meis inimicis et obtrektoribus.

Primam in honorem Christi Jesu ad columnam flagellati, pro meorum peccatorum venia et virtute mihi, maxime necessaria impetranda.

Tertiam in honorem Christi Jesu spinis coronati, pro regibus et principibus Christianis omnibus.

Sextam in honorem Christi Jesu ea hora crucifixi, pro omnibus ea die singulariter afflictis.

Nonam in honorem Christi Jesu ea hora expirantis, pro omnibus eo die animam agentibus.

Vesperas in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ exanimem filium sinu suo complectentis, pro omnibus eo die defunctis.

Completorium in honorem omnium Sanctorum Coelitum, præcipue tutelaris Angeli et Patroni, pro felici perseverantia in bene coeptis.

Quid durante Psalmodia agendum.

Inter psallendum intentionem initio factam sæpe in corde renova, evagationibus mentis totis viribus resiste. Quodsi tamen distractum te observaveris, cor tuum ad devotionem excita his et similibus suspiriis:

Vae mihi misero, qui Deum meum tam negligenter laudo. — Ecce Dominus meus pro me tota nocte amarissime passus nullam requiem habuit, et ego nec una hora cum eo vigilare possum. — Adiuva me Domine Deus meus, ut tibi devote psallere possim. — Utinam, o bone Deus, ex toto corde et super omnia te diligere possem et tibi soli iugiter adherere. — O Jesu, dulcis amor meus, posside cor meum, quia tu thesaurus cordis mei es, Rex meus, Deus meus.

Post Officium Divinum.

Salve Regina, Mater misericordiae etc.
cum Versiculo et Oratione ut in Brev. pag. IV.

Sacrosanctae et individuae Trinitati, crucifixi Domini nostri Jesu Christi humanitati, beatissimae et gloriosissimae semperque Virginis Mariae foecundae integritati, et omnium Sanctorum universitati sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creatura nobisque remissio omnium peccatorum per infinita saecula saeculorum. Amen.

Ÿ. Beata viscera Mariae Virginis, quae portaverunt aeterni Patris filium.

R. Beata ubera, quae lactaverunt Christum Dominum.

Pater noster. Ave Maria.

Orationem hanc post Officium Divinum recitantibus Leo Papa X. omnes defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate commissas indulisit.

DE MEDITATIONE.

Efficacissimum medium spirituales nostrum profectum promovendi est meditatio sacra, qua homo interna cordis oratione veritates religiosas perpendit, gustat sibi applicat, ut ad earum normam vitam suam corrigat et perficiat. Hinc beatum praedicat Scriptura virum, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. „Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet, et omnia, quaecunque faciet, prosperabuntur.“ (Ps. I.) Expertus est in seipso fructum uberrimum meditationis regius Psalmista, qui toties de se ipso fatetur: „Meditabar in mandatis tuis, quae dilexi“ — „in matutinis meditabor in te“ — „in meditatione mea

exardescet ignis.⁴ Profecto! quomodo non exardescat ignis in pectore Religiosi, qui ex. g. infinitam Dei charitatem meditatur, miranda redemptionis beneficia cogitat, vulnera Jesu crucifixi et sanguinem pro nobis sparsum mente intuetur? Sic meditando intellectus illustratur, animus movetur, secreta cordis reserantur, piæ sensationes et affectus excitantur, sancta desideria et proposita formantur, quæ ad vitæ emendationem fortiter exstimulant. Et hic est fructus ille inestimabilis sacræ meditationis, interna nempe illustratio, clarior sui cognitio et ad virtutes amplectendas excitatio. Hinc jure merito S. Bernardus asserit: „Consideratio mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat.“ Imo non tantum utilem, sed plane necessariam astruit meditationem S. Bernardus, ad Eugenium Papam scribens: „Considerationi aliquid tui et cordis et temporis sequestra. Hoc autem dico, necessitatem intuens, non æquitatem.“ Et inclytus Joannes Gersonius audent dicere: „Absque meditationis exercitio nullus, secluso Dei miraculo, ad christianæ religionis normam attingit.“

Quæ si ita sint, facile explicatur, cur nostro ævo plurimorum christianorum et religiosorum vita langueat, cum meditationis exercitium passim negligatur. Qualis enim zelus esse potest pro divinis, ubi de iis meditari piget? Quapropter, carissime in Christo adolescens, assuesce meditari et quotidie statuto tempore huic sacro exercitio conscientiosè vaca eo magis, cum et Rituale Ord. Nostri Libr. IV. cap. 2. illud præscribat.

Brevis meditandi Methodus.

Præparatio remota.

Remove obstacula; spiritum hujus mundi, mentis dissipationem etc.

Adhibe virtutes oppositas: spiritum humilitatis, mortificationis, orationis etc.

Præparatio proxima:

Prælege meditationem primæ die.

Expergefactus primo cogita de meditatione faciendâ.

Cogitationes conformes fove. Accede animo tranquillo.

Initium.

Deum præsentem cogita — adora — pète gratiam bene orandi.

Prælatia { 1. *Mysterium* contemplandum ob oculos
pone, ac si coram te ageretur.
2. *Fructum* e meditatione eruendum pete.

Medium.

Memoria materiam meditationis in mentem revocat.

Intellectus perpendit:

1. Quæ veritas consideranda?
2. Quæ conclusio practica ex veritate deducenda?
3. Quæ motiva ad conclusionem practicam servandam inducunt? (Quam decens, utile, jucundum, necessarium?)
4. Quomodo id hactenus observatum?
5. Quid in posterum faciendum?
6. Quale impedimentum removendum?
7. Quale medium eligendum?

Voluntas 1. affectus excitat per totam meditationem corde plus quam ore, ex. gr. laudis, gratiarum actionis, admirationis, confusionis, doloris deprecationis, amoris etc.
2. proposita format particularia, practica, accomodata presenti necessitati, fundata in motivis solidis.

Finis.

Colloquium ad B. Virginem — *Jesus Christum* — *Patrem* coelestem, uti filii ad Patrem — *servi* ad Dominum — *amici* ad Amicum — *ægri* ad Medicum — *oviculæ* ad Pastorem etc.

Tessera seligenda ex S. Scriptura vel S. S. Patribus per diem repetenda, ut meditationis fructus servetur.

Ante Meditationem.

Omnipotens, sempiternæ Deus, qui scrutaris renes et corda; ante cujus oculos omnia nuda et aperta sunt, ecce me, in conspectu tuo sisto, ut tecum ego indignus et abjectus terræ

vermiculus loquar. Doleo, quod unquam te, o summa bonitas, offenderim, et utinam magis dolerem! Propono firmiter deinceps vitam meam in melius emendare; offero tibi omnia mea, tam interiora, quam exteriora, ut cuncta in tuum cedant servitium. Adjuva me, Domine, et me miserum peccatorem benignis oculis respice; mitte de sede sancta tua divinæ gratiæ lumen, quo cor meum illustratum et accensum te solum Deum perfecte cognoscere et amare possit. O Beata Virgo Maria, sanctissime Pater Bernarde, Angele custos, ceterique Patroni mei, orate et intercedite pro me apud Dominum, ut vestra ope adjutus hocce meditationis exercitium ad laudem et gloriam Dei, ad animæ meæ salutem cum debita attentione ac reverentia valeam complere. Amen.

Post Meditationem.

Domine Deus, creator meus et redemptor meus, gratias tibi ago ex toto corde meo, quia hac hora me dignatus es dulcissimo eloquio. Tribue mihi, quæso benignissime Domine, ut efficaci gratia tua adjutus id præstem in operibus, quod mihi in hisce sacræ meditationis discursibus perficere inspirasti. Quod ut ferventius perficiam, auxiliari mihi dignemini, o gloriosissima ac amantissima Virgo Maria, Angele custos ceterique Patroni mei N. N. sanctissimi (nec non sanete N., cujus hodie gloriosam memoriam celebramus et ad cujus laudem hæc meditatio instituta fuit). Insuper auxilium mihi præstare dignemini (si senserit, se aridum fuisse in meditatione, adjungat), ut deinceps

alacrius et ferventius non solum mediter, sed etiam concepta in meditatione proposita feliciter in effectum deducam ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, vestrum cultum, proximi ædificationem, et animæ meæ salutem. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Indulgentiæ plenar. Semel quolibet mense omnibus iis, qui per duos quadrantes continuatos vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus per totum mensem meditationi operam sunt daturi, modo illo die, quo cupiunt lucrari indulgentias, consuetis conditionibus satisfaciant.

DE LECTIONE SPIRITUALI.

Quotidie statuto tempore spirituali lectioni cum fervore vaca; est enim et hæc magnum virtutis subsidium. Unde Apostolus Timotheum monet: „Attende lectioni.“ I. Tim. c. 4. Et Sanctus Hieronymus: „Semper, inquit, in manu tua sacra sit lectio“. Netamen desideratis fructibus in lectione pia defrauderis, necesse est, ut eam debito modo instituas. Ante omnia considera librum, quem manu tenes ut epistolam e coelo tibi missam; aperi eum cum reverentia; lege dein cum devotione, quasi Deum ad te loquentem audias: lege cum attentione, juxta doctrinam, quam percipis te ipsum examinans et corrigens; fini tandem lectionem cum bonis propositis et aspirationibus ad Deum, ut semen bonum in corde tuo sparsum fructum afferat justitiæ et pietatis.

Ante Lectionem Spiritualem.

(v. Studium.)

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.

Ÿ. Emitte spiritum tuum et creabuntur,

R. Et renovabis faciem terræ.

Oremus. Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni et adjuvando, pro-

sequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post Lectionem Spiritualem.

(v. *Studium.*)

Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum Amen.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster etc.

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem,

℞. Sed libera nos a malo.

Ÿ. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℞. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Ÿ. Domine, exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Suscipe, clementissime Deus, precibus et meritis, Beatæ Mariæ semper Virginis et omnium Sanctorum hanc Lectionem (v. *studium*) nostram et, si quid dignum laude egimus, propitius respice et, quod negligenter actum est, clementer ignosce. Qui in Trinitate perfecta vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ante Lectionem Regulæ.

Veni Creator Spiritus, — Mentis tuorum
visita; — Imple superna gratia, — Quæ tu
creasti pectora.

Qui Paraclitus diceris, — Donum Dei
Altissimi, — Fons vivus, Ignis, Caritas. — Et
spiritalis Uncio.

Tu septiformis munere, — Dextræ Dei
tu digitus, — Tu rite promissum Patris, —
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus, — Infunde
amorem cordibus, — Infirma nostri corporis —
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius, — Pacemque
dones protinus, — Ductore sic te prævio —
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus, da, Patrem — Noscamus
atque Filium — Te utriusque Spiritum —
Credamus omni tempore.

Gloria Patri Domino, — Natoque, qui
a mortuis — Surrexit, ac Paraclito, — In sæcu-
lorum sæcula. Amen.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie
eleison. Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Memento congregationis tuæ.

R. Quam possedisti ab initio.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. Excita, quæsumus Domine, in
Ecclesia tuum Spiritum, cui beatus Benedictus

Abbas servivit, ut eodem nos repleti studeamus amare, quod amavit, et, opere exercere, quod docuit. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post Lectionem Regulæ.

Laudate Dominum omnes gentes etc.
pag. 19.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster etc.

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

Ÿ. Confirma hoc, Deum, quod operatus es in nobis.

R. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Ÿ. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. Præsta nobis, quæsumus Domine, auxilium gratiæ tuæ, ut, quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus.

Adjuva nos, dulcissime Domine Jesu Christe, ut secundum hanc normam servi tui Benedicti religiose possimus vivere et in tuo sanctissimo servitio omni tempore fideliter permanere. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

VISITATIO S. S. SACRAMENTI.

Vix ullum pietatis exercitium tam efficax invenies, quo in vita spirituali proficias intimeque cum Deo

uniaris, quam frequentem et devotam visitationem S. S. Sacramenti; quare, dilecte in Christo adoleseens! vestigiis Sanctorum insiste et dulcissimum Salvatorem tuum in augusstissimo hoc mysterio præsentem quotidie visitare assuesce, effunde coram illo cor tuum, adora, lauda, gratias age, pete, dole etc.; conversare cum eo: non enim habet amaritudinem conversatio ejus, nec tædium convictus ejus.“

Praxis Visitationis.

Omnia ut in libro: *Vignoris Besuchungen des heiligsten Altars-Sacramentes.*

Rhythmus S. Thomæ Aquinatis.

Adoro te devote latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit:
Visus, gustus, tactus in te fallitur.
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo, quidquid dixit Dei Filius,
Nihil veritatis hoc verbo verius.
In cruce latebat sola Deitas,
Sed hic latet simul et humanitas.
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor.
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præstans homini,
Præsta meæ menti de te vivere,

Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio:
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ! Amen.

Affectus S. Ignatii.

Anima Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inebria me.
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone Jesu, exaudi me.
Intra tua vulnera absconde me.
Ne me permittas separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meæ voca me.
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentiæ 300 dierum toties quoties; si vero post communionem recitatur, indulgentiæ 7 annorum; si vero quotidie recitatur, indulgentiæ plenariæ die arbitrario cujusque mensis. †.

Signum † indicat ultra confessionem et communionem requiri, ut visitetur Ecclesia et ibidem oretur ad mentem suæ Sanctitatis.

Oratio St. Cajetani

ad S. S. Altaris Sacramentum.

Respice, Domine, de sanctuario tuo (Deut. 26. 14.) et de excelso coelorum habitaculo et vide hanc sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, Sanctus Puer tuus Dominus Jesus pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ. Ecce vox sanguinis fratris nostri Jesus clamat ad te de Cruce. Exaudi Domine (Dan. 9. 19.), placare Domine; attende et fac, ne moreris propter temet ipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum, et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen.

Præmissa confessione et communione e Indul. Plenar. prima Feria V, cujusvis mensis, ceteris feriis quintis Indulg. 7. annor. et 7 quadragenar; aliis diebus Indulg. 100 dierum. Recitanda autem est hæc oratio genibus flexis coram S. S. Sacramento exposito vel saltem in tabernaculo incluso.

PRECES BREVIORES ET JACULATORIÆ.

Cum Novitiis tantopere commendandum sit, ut spiritum orationis nutrire studeant et precibus jaculatoriis piisque affectibus eliciendis assuescant, subjungimus nonnullas hujusmodi preces, quarum aliquæ indulgentiis ditatæ sunt.

Trisagium angelicum.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: Plena est terra gloria tua:

Gloria Patri, Gloria Filio; Gloria Spiritui
Sancto.

*Indulgentiæ 100 dierum semel qualibet die et
ter diebus Dominicis, nec non Festo S. S. Trinitatis
et ejus Octava; si autem quotidie recitatur, Indulg.
Plenar. semel in mense die arbitrario †.*

Invocatio S. Spiritus.

Veni Creator Spiritus, — Mentis tuorum
visita etc. pag. 20.

*Indulgentiæ 100 dierum toties, quoties, et Do-
minica Pentecostes et sua Octava 300 dierum; si autem
quotidie recitatur cum intentione orandi pro concordia
inter Principes christianos etc., Indulg. Plenar. semel
quolibet mense die arbitrario.*

Invocatio S. S. Nominis.

Dulcissime Jesu, ne sis mihi Judex, sed
Salvator!

Indulgentiæ 100 dierum toties, quoties.

Oblatio Sui.

Sucipe Domine universam meam liber-
tatem. Accipe memoriam, intellectum atque
voluntatem meam omnem. Quidquid habeo vel
possideo mihi largitus es: id totum tibi resti-
tuo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernan-
dum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi
dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam
ultra posco.

Transiens Imaginem Crucifixi.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, rogo
te per omnem amaritudinem passionis tuæ,
quam pro me sustinuisti, maxime tunc, quando
nobilissima anima tua egressa est de corpore

tuo, miserere animæ meæ in egressu de corpore meo et perduc eam ad vitam æternam.

Ad adorandam voluntatem divinam.

Fiat, laudetur atque in æternam superexaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus.

Indulg. 100 dierum semel quolibet die, et si quotidie recitetur Indulg. plenar, semel quolibet mense die arbitrario, modo omnibus consuetis conditionibus satisfiat.

Procedens ad Chorum vel Ecclesiam.

Protege, Domine, plebem tuam per signum sanctæ crucis ab omnibus inimicorum insidiis, ut tibi gratam exhibeamus servitatem et acceptabile tibi fiat sacrificium nostrum: dirige nos, Domine, in viam pacis ad gloriam nominis tui sempiternam.

Ingrediens Chorum vel Ecclesiam.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo; da, Domine, ut digne te laudare possim.

Ad aspersionem Aquæ benedictæ.

Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor.

Relinquendo Ecclesiam.

Mane nobiscum, Domine! Non te dimittam, nisi prius benedixeris mihi. Benedictio Dei omnipotentis, Patri et Filii et Spiritus Sancti descendat super nos et maneat semper.

Relinquendo chorum.

(post officium dininum.)

O bone Jesu propitius esto mihi peccatori! En pensum servitutis meæ nimis tepidum et distractum mellifluo cordi tuo emendandum et perficiendum commendo tibi et illud offero in unione perfectissimæ attentionis et purissimæ intentionis tuæ, qua tu Deus meus Patrem tuum coelestem exorasti et laudasti in terris: simul te suppliciter rogo, ut defectus distractiones et negligentias in eo persolvendo a me commissas ex thesauro infinitorum tuorum meritorum benigne suppleas. Amen.

Videns iconem B. M. V.

Maria, Mater gratiæ, — Mater misericordiæ, — Tu nos ab hoste protege, — Et hora mortis suscipe.

In tentatione.

O Domina mea! o Mater mea! Memento me esse tuum. Serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

Indulg. 40 dierum toties, quoties in aliqua tentatione dicitur.

Ad honorem Conceptionis immaculatæ B. M. V.

In conceptione tua, Virgo Maria immaculata fuisti; ora pro nobis Patrem, cujus filium Jesum de Spiritu Sancto conceptum peperisti.

Indulg. 100 dierum toties, quoties.

Ad sonitum horologi.

Ultima in mortis hora — Filium pro nobis ora. — Bonam mortem impetra, Virgo,

Mater, Domina! Centies millies laudetur sanctissimum Altaris Sacramentum et immaculata Conceptio B. M. V.

Ad S. Angelum custodem.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et gubernas. Amen.

Indulg. 100 dierum toties, quoties, et si quotidie recitatur indulg. plen. die arbitrario cujusvis mensis. †

Actus contritionis post commissum peccatum.

Deus meus et omnia, doleo quam maxime, quod te, quem super omnia amo, peccato hoc offendi! Propitius esto mihi peccatori!

DE EXAMINE CONSCIENTIÆ PARTICULARI.

Examen particulare illud dicimus, quo in unum quoddam vitium vel defectum specialem, quem eradicare volumus, aut in unam quamdam virtutem, quam acquirere studemus, mentis acies intenditur. Hoc examen a doctoribus vitæ spiritualis omnibus profectum spiritualem anhelantibus summopere commendatur; ideo etiam in omnibus Religiosorum coenobiis, ubi divinus ille primævæ institutionis fervor sanctusque Regulæ spiritus viget, in usu est. Praxis hujus examinis hæc est, ut

1. mane persolutis ordinariis precibus diligentem tui custodiam proponas circa defectum particularem, quem emendare constituisti, et propositum hoc genuflexus in sequenti oratione exprimas:

Amabilissime Domine Jesu Christe, meæ salutis amore crucifixe! ego licet conspectu

tuo indignissimus, fretus tamen pietate et misericordia tua infinita et amore tui impulsus coram S. S. Virgine Maria et unisera coelesti curia efficacissime statuo ac propono, quod omni possibili modo conabor hodie ab hoc momento usque ad proximum examen evitare penitus defectum N. (vel. quod ubicunque, præsertim, ubi se mihi obtulerit occasio, conabor exercere virtutem N.)

Te igitur per pretiosissimum tuum sanguinem pro me effusum suppliciter rogo, ut efficacem gratiam propositum hoc fideliter exequendi concedere digneris. Tu quoque, o mea dulcissima Mater Maria, hanc meam voluntatem tuo filio præsentata et pro ea constanter et inviolate adimplenda cum S. Josepho, S. Angelo custode, S. Bernardo et reliquis meis S. S. Patronis intercede, et a me omnem servandi hujus propositi incuriam ac negligentiam aliaque ejus violandi pericula remove, ut carus tibi filius vivam et moriar, O Mater, o Virgo! habe curam salutis meæ. Amen.

2. Ut statuto tempore ante prandium conscientie tuæ discussionem facias et quidem hac ratione: a) Deo pro acceptis beneficiis debitas grates persolve. b) Lumen a Deo pete, c) Expende, num et quoties propositum hoc violaveris? d) Si non violasti, age Deo gratias, si vero violasti, dole et veniam pete, et demum e) de novo propone in residua parte diei tibi a lapsu in hoc puncto cavere velle; et pro priori lapsu tibi aliquam poenitentiam injunge.

3. Ut, quoties per diem cadis, toties actum contritionis elicias.

4. Ut vespere in examine generali peculiarem hujus inde a meridie forsitan commissi defectus inquisitionem facias.

5. Ut in examine tum meridiano tum vespertino numerum lapsuum notes ad comparationem instituendam

temporis ante meridiani et pomeridiani, unius diei et alterius, unius hebdomadae et alterius. Sic observabis, quomodo tua emendatio progrediatur.

DE REFECTIONE.

Ad exemplum Christi Domini, qui nunquam se vel alios cibavit, quin oculos in coelum levasset et post coenam Deo Patri gratias egisset, et tu ante et post refectionem devote et attente ora. Ad mensam residens comedere et bibe recta intentione, ut nempe vires restaures, sanitatem conserves atque ad serviendum Deo aptior evadas, memor moniti apostoli Pauli: „Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.“ I. Cor. 10. Ex consilio S. Bernardi cibos velut medicinam sume, nequaquam in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Quapropter noli avide in cibos involare, nec ad tedium usque implere ventrem; potius in qualibet refectione ex ferculis praecipue delicatioribus amore Dei tibi aliquid subtrahe, ut abnegationi christianae assuefias. Imprimis circa potum vini data occasione quam maxime sobrius esto.

Omni porro studio adnitere, ut extra tempus refectioni destinatum ab edendo abstinere discas, quod diebus jejunii omnino praecipuum est, ubi unica tantum relectio permittitur et sic dicta collatio vespertina, quae tamen ad plenam satietatem non procedat. Denique, dum corpus edendo reficitur, etiam animae alimentum praebere non negligas; attende nempe sacrae lectioni, quae nobis manducantibus nunquam deest. Non enim de solo pane vivit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Directio intentionis

ante Refectionem.

Domine Deus meus, ego intendo corpus meum reficere ad majorem tuam gloriam et majus obsequium tibi praestandum; da gratiam,

ut sim temperans et majestati tuæ hoc actu placeam. O Beatissima Virgo Maria, Angele custos ceterique Patroni mei N. N. intercedite pro me, ut vestro Patrocinio adjutus hunc actum pure ad honorem Dei et animæ meæ salutem perficiam. Amen.

Preces ante et post Refectionem vide in Breviario pag. CXVII.

EXAMEN CONSCIENTIÆ VESPERTINUM.

Examen conscientiae vespertinum quotidie, antequam te cubitum conferas, institue, nunquamque illud, licetsis occupatissimus, neglige. Peccato enim mortali forsitan gravatus, quomodo posses dulcem capere somnum, nisi prius saltem perfecta contritione Deo reconciliatus? Contritio enim perfecta, ut bene nosti, etiam absque confessione sacramentali, cujus copia modo deest, animam justificat, incluso tamen sincero voto confessionis quanto citius peragendæ. Insuper examen conscientiae quotidie institutum mire te juvabit, ut peccata tua cognoscas et sedulo emendes. Multi non tam secure in peccatis viverent, si frequentius ad cor redirent. Examen hoc vocatur generale, quia in omnia peccata per decursum diei forsitan commissa inquirat. Praxis ejusdem quinque continet partes:

1. Aguntur gratiae pro beneficiis acceptis hoc fere modo:

O infinita Bonitas! gratias tibi ago pro omnibus beneficiis tuis, quæ mihi hodie et tota vita mea contulisti. Tibi laus et gloria per infinita sæcula.

2. Petitur lumen ad cognoscenda peccata admissa;

O immensa Majestas! da, ut quidquid tibi hodie in me displicuit, mihi integre in memoriam redeat.

3. Expenduntur omnes actiones diei, omnia verba, cogitationes, omissiones etc.; percurreuntur conversa-

fiones, studia, loca, negotia etc. et examinatur: an et quid in illis delictum sit contra Deum, nos ipsos aut proximos?

4. Vivus excitatur dolor de peccatis admissis:

Doleo ex toto corde, quod te amabilissimum Deum, summum et omni amore dignissimum bonum, tot peccatis hactenus offenderim. Ignosce mihi, o Deus, ignosce per gemitus, lacrimas, passionem ac mortem dilectissimi filii tui Domini mei Jesu Christi.

5. Elicuntur bona proposita non amplius peccandi etc.

O æterna Sapientia, Christe Jesu! firmissime propono non peccare amplius.

PRÆCES VESPERTINÆ.

O clementissime Deus, Creator, Protector ac Redemptor meus! Te benedico, laudo et glorifico cum omnibus Angelis et Electis Dei; gratiasque ago pro animi et corporis donis ac beneficiis mihi hodie et alias liberalissime collatis. Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Me totum et omnia, quæ dedisti mihi, insuper et omnium Sanctorum laudes et amoris affectus in unione passionis ac meritorum Christi tibi pro merita gratiarum actione offero. Suscipe, o Pater æterne, hanc oblationem meam; utinam majori affectu nunc et in ætereum cum omnibus creaturis te laudare et glorificare possem! Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Ps. 56. 10.

Veni, Sancte Spiritus, et emitte coelitus lucis tuæ radios; illumina mentis meæ tenebras,

ut peccata hodie commissa negligentiasque meas videam, agnoscam et detester.

Discute mentem, omnes diei horas percurrere et vide, quid boni neglexeris, quid mali commiseris cogitatione, verbo et opere.

En, Domine Deus, quid retribuisti tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi, nisi peccata, negligentias et ingrattitudines? Ah! quam doleo, quod te Deum, summum bonum meum, mihi super omnia dilectum, unquam offenderim! Tibi soli peccavi et malum coram te feci. Erravi, sicut ovis, quæ periit. Respice in me et miserere mei. Ignosce, o Deus, ignosce per gemitus, lacrimas, passionem et mortem dilectissimi filii tui, Domini mei Jesu Christi.

Ecce, mi Jesu, in te posita est omnis spes mea. Te supplex oro, ut omnia scelera et delicta mea sacratissimo sanguini tuo immergas tuisque infinitis meritis compenses, quidquid meæ satisfactioni deest: ex hoc momento firmiter statuo omnia peccata omnesque occidinet et pericula peccatorum vitare et tollere et potius vitam ac omnia amittere, quam peccatum committere. Statuo etiam peccata mea quam primum confiteri et in satisfactionem accepto de manu tua omnia adversa, labores et onera. Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.

Domine mi Jesu Christe, te rogo per virtutem sanctæ passionis tuæ, miserere mei et custodi me hac nocte a subitanea morte, ab omnibus insidiis et illusionibus satanæ, ut pura mente et mundo corpore dispositis mihi horis valeam consurgere et cum fervore spiritus te collaudare. Amen.

Liceat mihi, o unica spes salutis animæ meæ post Deum Virgo Maria, sub umbra protectionis tuæ hac nocte requiescere: quatenus incolumis et gaudens cum gratiarum actione suo tempore consurgam, ac tibi filioque tuo quam ferventissime deserviam. Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et gubernâ.

Pater noster. Ave Maria. Credo.

Pax Domini nostri Jesu Christi, signum Sanctæ Crucis, virtus dominicæ Passionis, integritas et patrocinium Beatissimæ Virginis Mariæ, benedictio, merita et intercessio S. P. N. Benedicti, Bernardi, Roberti, Stephani et aliorum Patronorum Ordinis nostri ac omnium Angelorum et Electorum Dei sint inter nos et omnes inimicos nostros visibiles et invisibiles et nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

ALIÆ PRECES VESPERTINÆ.

(A Novitiis in communi dicendæ).

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Ū. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ.

Oremus. Deus, qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Gratias tibi agimus, Deus clementissime,

pro innumeris beneficiis, quibus nos per omnem vitam et specialiter hodierna die cumulasti. Proh dolor! quam ingrati fuimus erga te benignissimum! Illumina, Sancte Spiritus, corda nostra radio claritatis tuæ, ut videamus, ubi declinaverimus a mandatis tuis: contunde pectora nostra dolore supernaturali, ut errores et delicta deploremus, quibus hodie te offendimus

(Discute nunc conscientiam.)

Domine Deus poenitentium, poenitet nos ex toto corde, quod offenderimus te benignissimum, quem a nobis amari oportet super omnia. Malumus in posterum millies mori, quam vel semel te, Pater clementissime, deliberato animo offendere. Non amplius indulgebimus illicitis cogitationibus vel inordinatis cupiditatibus, non amplius indulgebimus ignaviæ vel negligentiae in officiis nostris, non superbiæ, non iracundiæ, non inimicitiae; sed omnibus enitemur viribus, ut renuntiantes mundo et carni et diabolo tibi soli vivamus et moriamur. Deus salutis nostræ, da nobis gratiam, ut peccata nostra, praecipue illud, in quod sæpius relabimur, corrigamus, ut piissimæ voluntati tuæ in omnibus fideliter obsequamur et in sancta vocatione nostra digne conversantes ad salutem perveniamus æternam. Amen.

V. Dignare Domine nocte ista.

R. Sine peccato nos custodire.

V. Miserere nostri Domine,

R. Miserere nostri.

V. Fiat misericordia tua Domine super nos.

R. Quemadmodum speravimus in te.

V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Defende, quæsumus Domine, beata Maria intercedente istam ab omni adversitate familiam et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro Pio IX. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus Franciscus Josephus Austriae imperator, qui tua miseratione regnorum suscepit gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus ad te, qui via, veritas et vita es, gratosus valeat pervenire.

Omnipotens sempiterne Deus; qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum Edmundum et super congregationem illi commissam spiritum gratiæ salutaris, et ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sub tuum præsidium (*reliqui prosequuntur*) confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra; tuo

filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræsenta.

V. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Omnipotens sempiternæ Deus, qui gloriosæ Virginis Mariæ corpus et animam ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto coopérante præparasti, da, ut ejus commemoratione lætatur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Sancti Angeli (*ceteri prosequuntur*), custodes nostris, defendite nos in proelio, ut non pereamus in tremendo iudicio.

V. Angelis suis Deus mandavit de te,

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Oremus. Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut intercedente pro nobis angelico suffragio, ab omnibus nos mentis et corporis hostibus tuearis et ad patriam nos penducas æternam.

Ego sum resurrectio (*ceteri prosequuntur*) et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.

V. In memoria æterna erit justus,

R. Ab auditione mala non timebit.

Oremus. Deus veniæ largitor et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum

omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo.

Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace. Amen.

Quid post preces vespertinas agendum.

1. Persolutis precibus vespertinis strictissimum silentium observa.

2. Vestes exuendo crebris orationibus jaculatoriis utere v. g.

Exue me, Domine, veterem hominem. Coloss. cap. 3.

Quid proderit universa vanitas, cum veneris sicut fur in nocte?

Stulte hac nocte repetent animam tuam a te, et quæ parasti cujus erunt? Luc. cap. 12.

O Domine! vanitas vanitatum, et omnia vanitas, præter amare te et tibi soli servire.

3. Jamjam decumbens Deo te commenda dicendo: In manus tuas commendo spiritum meum; dein signa frontem, os et pectus signo crucis dicens:

In nomine Patris etc., ut ita ultima cogitatio, ultimum verbum et opus sint Deo sacra.

4. In strato te honeste compone in latere dextro junctis manibus in modum crucis ante pectus, decenter-

que te tege etiam in fervido caloris aestu: nec crebro te verte, sed quiete cuba memor Christi in cruce pendentis, et propter angelicæ puritatis studium, quod æmulari oportet. Card. Bona.

5. Dum somnum expectas, sanctam aliquam cogitationem assume, in qua suaviter quiescas, eaque quantum possibile desumatur ex meditatione postero die instituenda; alias servire poterit, unum aut aliud punctum passionis Christi, ejus vitæ vel doctrinæ v. g. Sudor sanguineus aut agonia in horto, crucis bajulatio etc. Jesus in præsepio, pernoctans in monte, jacens in sepulcro etc.

6. Si nocte expergiseris, mentem protinus ad Deum eleva et piam illam cogitationem, in qua obdormivisti, reassume suspiraque etiam cum Psalmista: Memor fui nocte nominis tui, Domine. Ps. 118 — Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo. Ps. 6.

PRECES BREVIORES ET SUSPIRIA SUB S. S. MISSAE SACRIFICIO.

(Pro Novitiis ad aram servientibus.)

Intentio.

Omnipotens sempiterne Deus! ego intendo interesse huic sacrosancto Sacrificio in cruento, idque omni possibili devotione; est enim memoria Passionis et Mortis unigeniti Filii tui, Mysterium Mysteriorum: illud, sicut omnia, quæ toto orbe celebrantur, tibi offero ad majorem laudem et gloriam nominis tui: in agnitionem supremi Dominii tui in omnes creaturas: in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis corporalibus et spiritualibus, in satisfactionem pro peccatis meis et totius mundi:

ad impetrandam gratiam statui meo conformiter vivendi feliciterque moriendi, pro parentibus, fratribus, superioribus, amicis et inimicis, præsertim vero pro N. et denique pro omnibus fidelibus defunctis.

Ad Hymnum Angelicum.

Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater Omnipotens. Domine Fili unignite Jesu Christe, Domine Deus Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis: Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus Jesu Christe cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Ad Epistolam et Evangelium.

Utinam ego corde bono et fertili suscipiam semen Verbi seu Evangelii tui et fructum multum afferam in patientia.

Ad Offertorium.

Cum immaculata illa Hostia, quam tibi, Sancte Pater, omnipotens, æterne Deus! offert Sacerdos tuus, offero tibi quoque cor meum, corpus meum et omnia quæ habeo. Suscipe ea pro omnibus peccatis et offensionibus et negligentis meis, ut mihi proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.

Dein orabis devote ore et corde:

Suscipiat Dominus Sacrificium de mani-

bus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.

Ad Præfationem.

Laudate Dominum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus. Reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini. Te decet laus, te decet hymnus, tibi gloria Deo Patri et Filio eum S. Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

Sub Elevatione sacrosanctæ Hostiæ et Calicis.

Adoro te devote, latens Deitas etc. pag. 22.

Ad Agnus Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Ad Communionem.

Domine, non sum dignus, ut hodie intres sub tectum meum; non sum dignus, ut hodie carne tua sanctissima ciber. Concede tamen, ut spirituali modo te recipiam tibi que uniar in fide, spe et charitate. Utique, Domine, credo, quod præsens sis in adorando hoc Sacramento. Tu ipse desideras esse cum filiis hominum; tu ipse ad nos venire atque in nobis mansionem facere ardentissime cupis. Veni, dilecte cordis mei, veni ad me et maneat in me spirituali saltem et divina tua præsentia. Desiderat anima

mea ad te Deum meum, fontem coelestium aquarum. Tibi me totum offero, consecro atque sanctifico! Veni, vive et regna in me per gratiam tuam.

Hic Christum quasi praesentem complectere et dic: Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum nec dimittam eum.

Anima Christi, sanctifica me etc. pag. 23.

Ad finem Missae.

Benedicat nos Deus Pater: custodiat nos Jesus Christus: illuminet nos Spiritus S. omnibus diebus vitae nostrae. A subitanea et improvisa mala morte liberet nos omnipotens Deus Pater † et Filius † et Spiritus Sanctus. † Amen.

Post Missam.

Suscipe, Sancte Pater, hoc Sacrificium unigeniti Filii tui, tibi que sit acceptabile, mihi que et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile per Christum Dominum nostrum. Negligentias in eo admissas commendo emendandas melifluo cordi tuo, o Jesu! meque cum illis in balneum pretiosi sanguinis tui et in abyssum miserationum tuarum immergo. Amen.

Feria Quinta

ad signum in memoriam agoniae Christi.

Pater, si vis, transfer calicem hunc a me. Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.

Pater noster.

Tristis est anima mea usque ad mortem.

Pater noster.

Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Pater noster.

℣. Proprio filio suo non pepercit Deus.

℞. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus. Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum; qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Feria sexta

ad signum in memoriam mortis Christi.

A sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.

Pater noster.

Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: „Eli, Eli, lamma sabacthani?“ hoc est: Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?

Pater noster.

Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.

Pater noster.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.

℞. Mortem autem crucis.

Oremus. Domine Jesu Christe, qui pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti et sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur, ut post obitum nostrum paradisi januas nos gaudenter introire concedas. Qui

vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EXERCITIUM VIÆ CRUCIS.

Genueflectendo coram Altari majori, quilibet actum contritionis eliciat, et intentionem faciat omnes indulgentias, hujus pio exercitio adnexas, lucrandi pro se vel pro animabus in purgatorio. Deinde sequens oratio recitatur:

Domine mi Jesu Christe, ingressus es hanc viam tanto amore ad moriendum pro me, qui toties te dereliqui. Verum nunc te diligo ex tota anima mea, et quia te diligo, intimo corde me poenitet, quod te offenderim. Parce mihi et permitte, ut me tibi comitem præbeam in hac via. Amore mei ductus vadis ad moriendum, volo et egomori propter amorem tui, amantissime Redemptor. O Jesu mi, tecum unitus vivere volo et mori.

Statio I.

Jesus condemnatur ad mortem.

V. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

R. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Considera, quemadmodum Jesus Christus, flagellatus et spinis coronatus, injuste demum a Pilato ad mortem in cruce obeundam condemnatur.

O Jesu mi adorate, non Pilatus, sed mea peccata ad mortem te condemnaverunt. Per meritum hujus viæ dolorosæ te supplico, ut mihi assistas in via illa ad æternitatem, quæ animæ

meæ proposita est. Amo te, o Jesu, amor meus, amo te magis, quam me ipsum et toto corde me poenitet, quod te offenderim. Non permittas me separari a te. Fac, ut semper te diligam, et dein dispone de me, quomocunque volueris. Accepto, quidquid tibi placitum est. Pater. Ave. Gloria.

O Jesu dilectissime,
Tu pro me te das in mortem,
Fac doloris me consortem,
Moriturus sum pro te.

Statio II.

Jesu crux imponitur.

Ū. Adoramus te etc.

Considera, quemadmodum Jesus Christus in hac via, crucem super humeros portans, tui meminit, et pro te mortem, quam obiturus est, aeterno Patri offert.

O Jesu mi amabilissime, amplector omnes tribulationes, quas mihi usque ad mortem meam præfinitiisti, et per meritum dolorum, quos portando crucem tuam tolerasti, te supplico, ut me adjuves in portando crucem meam perfecta patientia animoque tuæ voluntati devoto. Amo te, o Jesu, amor meus, et toto corde me poenitet, quod te offenderim. Non permittas me separari a te. Fac, ut semper te diligam, et dein fac, quidquid tibi placet.

Pater etc. — O Jesu dilectissime etc.

Statio III.

Jesus prima vice procumbit sub crucis pondere.

Ū. Adoramus te etc.

Considera primum hunc lapsum Jesu Christi sub cruce. Carnes suæ flagellis laceratæ sunt; caput spinis

coronatum est; copiosæ illæ sanguinis effusiones vires suas adeo attenuaverunt, ut vix ad incedendum sufficiant; insuper a militibus percutitur: et sic pluries in hac via humi procumbit.

O Jesu mi amate, non crucis, sed peccatorum meorum pondus hos tibi dolores comparavit. Heu, per meritum primi hujus lapsus, protege me, ne unquam in peccatum mortale illabar. Amo te, mi Jesu, ex toto corde, et me poenitet, quod te offenderim. Non permittas, ut denuo te offendam. Fac, ut semper te diligam, et dein fac, quicquid tibi placet.

Pater etc. O Jesu dilectissime etc.

Statio IV.

Jesus obviam venit matri suæ afflictæ.

Ÿ. Adoramus te etc.

Considera occursum Filii et Matris in hac via: Jesus et Maria se invicem intuentur, et mutui eorum aspectus totidem sagittæ sunt, quibus eorum corda amantia vulnerantur.

O Jesu mi amantissime, per dolorem, quem in hoc occursum expertus es, te supplico, ut gratiam veræ devotionis erga sanctissimam Matrem tuam mihi concedas. Tu autem, Regina mea dolorosissima, obtine mihi tua intercessione, continuam amorisque plenam memoriam passionis Filii tui. Amo te, mi Jesu, amor meus, et me poenitet, quod te offenderim. Non permittas me separari a Te. Fac, ut semper te diligam, et dein fac, quicquid tibi placet. Pater etc. — Jesu dilectissime etc.

Statio V.

Jesus a Cyrenaeo adjuvatur in portanda cruce.

V. Adoramus te etc.

Considera quomodo Judaei videntes extremam debilitatem Jesu quovis gressu quasi exspiraturi timentesque ne in via moriatur, Simonem Cyrenaeum cogunt ad portandum crucem post Dominum.

O Jesu mi dulcissime, non recuso crucem, ut Cyrenaeus, quin potius eam accepto et amplector. Accepto speciatim mortem mihi destinatum cum omnibus doloribus ipsam comitantibus, unitamque cum tua morte eam tibi offero. Mortuus es amore mei et ego moriturus sum amore tui, ut tibi complaceam. Succurre mihi gratia tua. Amo te, mi Jesu, amor meus, et me poenitet, quod te offenderim. Non permittas, ut denuo te offendam. Fac, ut te diligam, et dein fac, quidquid tibi placet.

Pater etc. — O Jesu dilectissime etc.

Statio VI.

Jesus a sancta muliere Veronica sudarium accipit.

V. Adoramus te etc.

Considera, quemadmodum sancta mulier Veronica, videns Jesum in tanto angore, ejusque vultum sudore et sanguine perfusum, sudarium ipsi porrigit, quo Dominus se abstergit, sanctissimam suam imaginem in ipso impressam relinquens.

O Jesu dilectissime, facies tua antehac pulchra fuit, verum in hac via non amplius pulchra apparet, sed vulneribus sanguineque pro-

fuso omnino deformata. Heu me miserum! pulchra quondam et anima mea fuit, gratia tua in baptismo accepta, sed ego postea peccatis meis eam deformavi. Tu solus, Redemptor meus, pristinam pulchritudinem ipsi restituere vales. Age dum, per passionem tuam te obsecro.

Pater etc. — O Jesu dilectissime etc.

Statio VII.

Jesus secunda vice procumbit sub crucis pondere.

V. Adoramus te etc.

Considera secundum lapsum Jesu Christi sub cruce, quo afflicto Domino omnes plagae venerandi capitis sui ceterorumque sacrorum membrorum rērudescunt omnesque dolores reviviscunt.

O Jesu mi mansuetissime, quoties mihi ignovisti et ego ad cadendum et ad te offendendum reversus sum. Heu! per meritum iterati hujus lapsus, subveni mihi auxiliis tuis, ut in gratia tua perseverem usque ad mortem et in omnibus tentationibus, quae me invadent, tuo praesidio semper me commendem. Amo te, Jesu mi, amor meus, et me poenitet, quod te offenderim. Non permittas, ut denuo te offendam. Fac, ut semper te diligam et dein dispone de me, quomocunque tibi placet.

Pater etc. — O Jesu dilectissime etc.

Statio VIII.

Jesus loquitur mulieribus plorantibus.

V. Adoramus te etc.

Considera, quemadmodum mulieres videntes Jesum tantis angoribus oppressum, ut incedendo hac via san-

guine diflueret, miseratione commotæ plorant, at Jesus ipsis dicit: Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros.

O Jesu mi dolorosissime, deploro peccata, quibus te offendi, propter poenas idcirco promeritas, sed multo magis propter afflictionem, quam paravi tibi, qui me tantopere amasti. Adeo non infernus, quam potius amor tui ad deploranda peccata mea me impellit. Jesu mi, magis te amo, quam meipsum, et me poenitet, quod te offenderim. Non permittas, ut denuo te offendam. Fac, ut semper te diligam, et deinde dispone de me, quomodocunque tibi placet.

Pater etc. — O Jesu dilectissime etc.

Statio IX.

Jesus tertia vice procumbit.

V̄. Adoramus te etc.

Considera tertium Jesu Christi sub cruce lapsum. Nimia erat ejus debilitas, nimisque crudeles erant ejus carnifices, qui voluerunt, ut gressus suos acceleraret, cum vix vires haberet ad incedendum.

O Jesu mi tormentate, per meritum hujus defectionis, quam in via ad Calvariæ locum pati voluisti, concede mihi vires sufficientes ad superandos omnes respectus humanos omnesque appetitus perversos, qui me induxerunt ad contemnendum amicitiam tuam. Amo te, Jesu mi, amor meus, ex toto corde, et me poenitet, quod te offenderim. Non permittas, ut denuo te offendam. Fac, ut semper te diligam, et deinde dispone de me, quomodocunque tibi placet.

Statio X.

Jesus vestibus suis spoliatur.

V. Adoramus te etc.

Considera, quemadmodum Jesus a carnificibus spoliatur, et quidem violenter, quippe quod vestis interior adhæserat carni suæ flagellis laceratæ, ita ut avellendo vestem etiam cutis ipsi avelleretur.

O Jesu mi innocentissime, per meritum doloris, quem hac spoliatione sensisti, te supplico, ut me adjuves in spoliando memetipsum omnibus affectibus terrenis, ut omnem amorem meum reponam in te, nimis digno, qui ab omnibus ameris. Amo te ex toto corde et me poenitet, quod te offenderim. Non permittas, ut denuo te offendam. Fac, ut te diligam, et dein dispone de me, quomocunque tibi placet.

Pater etc. — O Jesu dilectissime etc.

Statio XI.

Jesus cruci clavis affigitur.

V. Adoramus te etc.

Considera, quemadmodum Jesus, projectus super crucem, manus suas extendit et æterno Patri sacrificium vitæ suæ offert pro nostra salute. Immites autem carnifices clavis ipsum affigunt, deinde crucem elevant et morti in hoc patibulo infami moriendæ eum tradunt.

O Jesu mi patientissime, affige cor meum pedibus tuis, ut maneat ibi semper, semperque te diligat et nunquam amplius a te recedat. Amo te magis, quam meipsum, et me poenitet, quod te offenderim. Non permittas, ut denuo te

offendam. Fac, ut semper te diligam, et dein dispone de me, quomodocunque tibi placet.

Pater etc. — O Jesu dilectissime etc.

Statio XII.

Jesus moritur in cruce.

Ÿ. Adoramus te etc.

Considera, quemadmodum Jesus tuus post agoniam per tres horas in cruce protractam, consumptus demum doloribus, caput inclinat et expirat.

O Jesu mi consummate, exosculor tenerimo affectu crucem hanc, in qua pro me mortuus es. Propter peccata mea morte mala mori meruissem, sed mors tua est spes mea. Per meritum mortis tuæ te supplico, ut mihi gratiam concedas moriendi in amplexu pedum tuorum et amore tui ardens. In manus tuas commendo animam meam. Amo te ex toto corde meo. Non permittas, ut denuo te offendam. Fac, ut semper te diligam, et dein dispone de me, quomodocunque tibi placet.

Pater etc. — O Jesu dilectissime etc.

Statio XIII.

Jesus de cruce deponitur.

Ÿ. Adoramus te etc.

Considera, quemadmodum Dominum exanimem duo ex discipulis suis, Joseph et Nicodemus, de cruce tollunt atque brachiis afflictæ Matris imponunt, quæ Filium suum tenerrime recipit arteque complectitur.

O Mater dolorosissima, per amorem hujus Filii accipe me in filium tuum et ora pro me. Tu autem, Redemptor meus, quoniam pro me

mortuus es, accipe me ad te amandum, quippe qui te solum et nihil præter te volo et quæro. Amo te, Jesu mi, et me poenitet, quod te offenderim. Non permittas, ut denuo te offendam. Fac, ut semper te diligam et dein dispone de me, quomodocunque tibi placet.

Pater etc. — O Jesu dilectissime etc.

S t a t i o X I V .

Jesus in sepulchro reponitur.

V. Adoramus te etc.

Considera, quemadmodum discipuli Jesum exanimem portant ad sepeliendum et sanctissima sua Mater ipsos etiam huc comitatur, propriisque manibus suis Filium sepulchro accomodat. Deinde sepulchrum occludunt et omnes loco decedunt.

O Jesu mi dulcissime, exosculor lapidem, qui te recondit. Sed resurges tertia die ex eodem loco et per resurrectionem tuam te exoro, ut me in extremo judicio gloriose tecum resurgere facias, ut tecum semper unitus sim in coelo et te diligam et collaudem in æternum. Amo te et me poenitet, quod te offenderim. Non permittas, ut denuo te offendam. Fac, ut semper te diligam et dein dispone de me, quomodocunque tibi placet.

Pater etc. — O Jesu dilectissime etc.

Post hæc coram Altari majori recitantur quinque Pater, Ave et Gloria in memoriam passionis Domini Nostri Jesu Christi ad lucrandas alias Indulgentias huic actui devotionis adnexas.

CULTUS B. M. VIRGINIS.

Beatissimam Virginem Mariam utpote Dei Matrem, Reginam coeli, Dominam terræ, Virginem nuspiam labe

peccati contaminatam, Patronam nostram singularem præ ceteris Sanctis omni studio omnique devotione colere satage; sic imitaberis S. Patrem nostrum Bernardum aliosque plurimos tum scientia, tum sanctitate conspicuos viros, qui ei specialem nullo non tempore detulere cultum. Præstantissimus autem B. M. V. cultus consistit in imitatione virtutum, quibus in terfis eminuit unde ad Eam colendam:

1. Imitare omni possibili modo Ejus ardentissimam in Jesum charitatem, humilitatem, virgineam castitatem, obedientiam; erga proximum benignitatem, mansuetudinem, dilectionem et veracitatem cum temperantia victus, modestia vultus, affabilitatem cum gravitate et verecundia.

2. Cor tuum a peccato non solum gravi, sed etiam a levioribus noxis, v. g. a mendacio immune servare stude. Quis enim Matrem credatur diligere, si Filium injuriis afficit quotidie?

3. Oculos in Ejus honorem custodi non solum ab omni illicito, inverecondo, aut periculoso, sed etiam nimis curioso vel otioso aspectu.

4. In tentationibus, in periculis, in anxietatibus quibuslibet et, præsertim in lucta carnis periculosa confuge ad Mariam; Matrem invoca, Mariam cogita.

5. Noctu, dum evigilas, ad Mariam, pulchram ut Lunam, suspira et pete ab illa lumen contra nocturnas insidias inimici, salutando Eam cum Angelo: Ave Maria.

6. Singulis diebus cole Mariam per certas preces, recitando Ejus Officium, Lytanasias vel Rosarium, aut saltem unam decadem.

7. Festa Ejus devotissime cole et frequentissime benedictum Fructum ventris Ejus, Jesum Christum in Ss. Eucharistia sume.

8. Die Sabbati speciali aliquo Eam honora obsequio, mortificatione, abstinentia, silentii, obedientiæ ac modestiæ strictiori observatione.

9. In literarum studiis hanc Sedem Sapientiæ tibi Magistram constitue et profectum tuum illi commenda, sicut et omnia alia vitæ tuæ negotia præsertim graviora.

10. Denique illius opem pro suprema mortis luctu sæpius implora; roga illam, ut tibi tunc adesse velit et post hoc exilium tibi Jesum benedictum fructum ventris sui ostendat.

Rosarium Marianum.

Rosarium Marianum est sertum quoddam devotionis, quod constat ex repetitis certo numero salutationibus angelicis, ceu spiritualibus rosis, quibus pietas fidelium Reginam coelorum coronat. Integrum Rosarium ex 150 salutationibus angelicis constat (inde Psalterium Marianum dictum, quia Psalterium Bibliorum totidem psalmos numerat), quæ insertis 15 orationibus dominicis in 15 decades dispescuntur, in quarum singulis mysterium aliquod sive ex vita, sive ex passione, sive ex glorificatione Jesu Christi meditandum est. Sumuntur autem ex vita Jesu Christi 5 mysteria per 5 decades consideranda, quæ constituent Rosarium gaudiosum; 5 etiam ex passione per totidem decades, quæ efficiunt Rosarium dolorosum; et 5 ex glorificatione per totidem decades, quæ formant Rosarium gloriosum. Hæc mysteria certis verbis enuntiata solent in qualibet salutatione angelica post nomen Jesu adjici.

In Rosario gaudioso additur:

1. Quem Virgo concepisti.
2. Quem visitando Elisabeth portasti.
3. Quem Virgo genuisti.
4. Quem in templo præsentasti.
5. Quem in templo invenisti.

In Rosario doloroso additur:

1. Qui pro nobis sanguinem sudavit.
2. Qui pro nobis flagellatus est.
3. Qui pro nobis spinis coronatus est.
4. Qui pro nobis crucem bajulavit.
5. Qui pro nobis crucifixus est.

In Rosario glorioso additur:

1. Qui resurrexit a mortuis.
2. Qui in coelum ascendit.
3. Qui Spiritum Sanctum misit.
4. Qui te in coelum assumpsit.
5. Qui te in coelo coronavit.

Initium Rosarii plerumque fit recitando Credo, Pater noster et tres salutationes angelicas, in quibus etiam mysteria quædam inseri possunt, ex. gr. pro Rosario gaudio: 1. Qui adaugeat nobis fidem; 2. qui corroboret nobis spem; 3. qui perficiat in nobis charitatem. Pro doloroso: 1. qui intellectum nostrum illuminet; 2. qui voluntatem nostram perficiat; 3. qui memoriam nostram roboret. Pro glorioso denique: 1. qui cogitationes dirigat; 2. qui verba moderetur; 3. qui gubernet opera.

Quinque decadibus addi solet sexta pro fidelibus defunctis, in qua post nomen Jesu dicitur: miserere fidelium defunctorum. Deinde pro fine recitari potest sequens Antiphona cum sua oratione:

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam sanctam commorationem.

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus. Deus, cujus Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis æternæ præmia comparavit: concede, quæsumus, ut hæc mysteria sanctissimo beatæ Mariæ Virginis rosario recolentes, et imitemur, quod continent, et quod promittunt, assequamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

PRECES QUÆDAM PECULIARES.

Oratio a Venerabili Capitulo S. Petri Romae singulis diebus Sabbati recitari solita.

Pietate tua, quæsumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente Beata semperque Virgine Dei Genitrice Maria, cum Beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis nos famulos tuos, et loca nostra in omni sanctitate custodi; omnes consanguinitate, affinitate ac familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra: pacem et salutem nobis tribue; hostes visibiles et invisibiles remove, carnalia desideria repelle; aërem salubrem indulge; amicis et inimicis nostris charitatem largire; Urbem tuam custodi; Pontificem nostrum N. conserva; omnes Prælatos, Principes cunctumque Populum Christianum ab omni adversitate defende. Benedictio tua sit super nos semper; et omnibus Fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulgentiæ 40 dierum toties, quoties, et indulg. 100 annorum et totidem quadragenarum, si per singula mensis sabbatha recitatur.

Oratio coram imagine Crucifixi.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te adoro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram erratorum meorum poenitentiam eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et

dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero et mente contemplor, illud præ oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David propheta de te, o bone Jesu: Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.

Indulg. plenariæ, si hæc oratio præmissa confessione et communionem coram quacunque imagine Crucifixi recitatur et pro necessitatibus Ecclesia oratur.

Oratio S. Bernardi ad B. M. V.

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a sæculo, quemquam ad tua currentem præsidia aut tua implorantem auxilia aut tua petentem suffragia a te esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te, Virgo Virginum, Mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despiciere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Indulg. 300 dierum toties, quoties; si quotidie recitatur, indulg. plenar. die arbitrario cujusvis mensis. †.

Oratio ad B. M. V. Ad implorandum ejus potentissimum auxilium.

Ave, augustissima Regina pacis, Sanctissima Mater Dei, per sacratissimum Cor Jesu Filii tui Principis pacis fac, ut quiescat ira Ipsius et regnet super nos in pace. Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a sæculo, quemquam tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te venio. Noli. Mater Verbi, verba mea despiciere, sed audi propitia et exaudi, o clemens, pia, o dulcis Virgo Maria.

Indulg. 300 dierum toties, quoties, et si quotidie recitatur; Ind. plen. die arbitrario cujusvis mensis†.

Commendatio sui ad B. M. V.

O Domina mea, sancta Maria! in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuæ hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meam tibi commendo; omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et misérias meas, vitam et finem vitæ meæ tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

Oratio ad S. Bernardum.

Sanctissime Confessor Domini, magnum Ecclesiæ lumen, Bernarde! qui innocentiae vitæ Angelus, Passionis Jesu Christi et sanctissimæ Virginis Mariæ Cultor fuisti præcipuus: tibi causam et negotium salutis meæ, quanto possum studio commendo. Per te accessus mihi pateat ad Mariam, per Mariam ad Jesum. O Doctor melliflue! qui a pueritia animum dedisti ad eloquia Dei, fac per tuam intercessionem, ut extincto mundanæ sapientiæ gustu, solum Deum quæram veræque sapientiæ fontem indesinenter sitiam. De via Babylonis ad semitas coelestis Jerusalem revocatus per te ducem et protectorem ab hoc sæculo custodiar et dignos æternæ vitæ bonorum operum fructus proferam. Qui introisti in potentias Domini et jam potentior ad impetrandum, fac me ejus, qua frueris, lucis suavitatisque participem. Amen.

Oratio ad S. Benedictum.

O alme Pater Benedicte! tuæ sanctissimæ protectioni humiliter me commendo, ut propter excellentiam meritorum tuorum ab omnibus, quæ contraria sunt animæ meæ, defendere me digneris, atque de pietate tua abundantiam compunctionis et lacrimarum gratiam mihi impetres, ut digne et copiose valeam tot tantaque peccata plangere, quibus a juventute mea amabilem et desiderabilem Dominum Jesum Christum offendi frequentius et te digne laudare et venerari merear. O oliva, o vitis nimium in Domo Dei fructifera! o vas auri solidum, omni ornatum lapide pretioso, secundum cor Dei electum et dulcissimum innumerisque gratiarum charismatibus tamquam gemmis coruscantibus decoratum: te oro, te rogo, tibi toto cordis affectu ab omnibus animæ desideriiis, benignissime Pater dulcisque Magister supplico: ut mei miseri peccatoris memor esse digneris apud Deum, ut peccatis meis omnibus benignus indulgeat meque in bono conservet, nec ab eo unquam discedere aliqua necessitate permittat, sed ad Beatorum consortium visionemque delectabilem per te Pater admittat, ubi tecum coetuque cum illo Monachorum maximo sub tuo vexillo posito, gaudere perpetuo possim, ipso Deo ac Domino nostro Jesu Christo præstante. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ad S. Patronum.

(Cujus quis nomen habet.)

O sancte N., qui occasione suscepti baptismatis (v. occasione mei ingressus in ordi-

nem) mihi in Patronum datus es in te singularem auxilii spem colloco. Dirige, obsecro, pedes meos in viam virtutis, ut ad vitæ tuæ exemplar digne vocatione mea ambulem. Doce et gubernare me in periculis tum animæ tum corporis; potissimum vero in extremo mortis articulo succurre et adjuva, ut tecum et cum omnibus Sanctis partem aliquam æternæ gloriæ obtinere merear in coelis. Per Christum Dominum nostrum.

Oratio ad S. Aloysium.

O sancte Aloysi, angelica vita splendens! ego indignissimus cliens tuus animæ et corporis mei castitatem tibi committo; teque precor per angelicam tuam puritatem, ut agno immaculato Christo Jesu et sanctissimæ ejus Matri, virginum Virgini me velis commendare et me defendere ab omni lethali peccato. Ne permittas, quæso, ut impuritatis macula unquam poluar, sed quando in tentatione me videris aut peccandi periculo, arceas a corde meo omnes cogitationes atque affectus turpes, et excitando in me æternitatis ac Jesu crucifixi memoriam, cordi meo sancti timoris in Deum sensa jugiter imprimas atque divino me amore inflammes, ut imitando te in terra tecum merear beate Deo frui in coelo. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Indulgentiæ 100 dierum toties, quoties.

Renovatio Foederis Baptismalis.

Sacramento baptismi ex aqua et Spiritu Sancto regeneratus, ablutus, sanctificatus, ju-

stificatus sum in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut possem introire in regnum Dei. Ex iræ filio Dei filius, Christi membrum et cohæres, vivumque templum Spiritus Sancti sum effectus. Quam insigne beneficium, quod divina misericordia mihi sine ullis meritis meis largita est! Gratias tibi ago, clementissime Pater, qui ex tanta multitudine hominum, qui in tenebris infidelitatis et erroris sedent, ad veram fidem me vocasti et unius sanctæ catholicæ et romanæ ecclesiæ, extra quam non est salus, membrum me fecisti. Quomodo autem hanc sanctam fidem, quam in baptisate per os patris mei professus sum, servavi? Quomodo promissis meis de pia et christiana vita ad normam evangelii agenda steti? Ah! Domine! parce mihi peccatori. Cognosco, quid fecerim vehementerque doleo, quod vota in baptismo emissa toties violaverim. Quapropter ea hodie renovo et confirmo, iterum abrenuntians Satanæ et operibus et pompis ejus. Credo in te Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terræ. Credo in Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, natum et passum. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam æternam. Libere et cum gaudio profiteor: Homo christianus sum et catholicus; utinam me Deus adjuvet, ut in sancta fide perseverem et vitam meam juxta Evangelii præcepta institutam et consummem. Amen.

Oratio pro Religiosis ad renovandam Professionem.

(Post Sacrificium Missæ vel Communionem.)

Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, pro gratiâ illa singulari, qua me, vilissimum peccatorem, de hoc sæculo nequam eduxisti et in hoc religioso ordine ad solemnem professionem admisisti. Doleo ex toto corde, quod gratiæ huic non satis responderim et tanto beneficio fuerim ingratus. Detestor omnes negligentias in hoc statu commissas, et quod tam parum ad ejus perfectionem adspiraverim. Ignosce mihi, Deus, veniæ largitor, et humanæ salutis amator et da, ut vel nunc tandem tua gratiâ incipiam, quod equidem ex animo cupio ac propono. Quodsi me votis necdum tuæ Majestati obstrinxissem, nunc sane id facerem. Ideoque, quanta devotione possum, illa nunc renovo et novo fervore tibi promitto:

Stabilitatem et Conversionem morum meorum, Paupertatem, Castitatem et Obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti. Veruntamen, quia ad hæc implenda me nimis tepidum et infirmum cognosco, rogo te, misericordissime Jesu, ut, qui dedisti mihi vivendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facultatem meque ita dirigas, ut non mihi, sed tibi soli vivam omnesque ordinis observantias, et quicquid animæ meæ perfectionem promovere possit, summo studio amplectar, ad gloriam nominis tui, qui es Deus benedictus in sæcula. Amen.

PRECES

ad initium exercitiorum spiritualium.

(Etiam alias in rebus majoris momenti dicendæ.)

Veni Creator Spiritus, — Mentis tuorum
visita etc. pag. 20.

Ÿ. Emitte Spiritum tuum et creabuntur;

R. Et renovabis faciem terræ.

Ÿ. Cor mundum crea in me, Deus;

R. Et Spiritum rectum innova in visceribus
meis.

Ÿ. Ne projicias me a facie tua;

R. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Ÿ. Redde mihi lætitiã salutaris tui;

R. Et Spiritu principali confirma me.

Ÿ. Domine, exaudi orationem meam;

R. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum;

R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. Deus, qui corda fidelium sancti
Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem
Spiritu recta sapere et de ejus semper conso-
latione gaudere.

Deus innocentie restitutor et amator, di-
rige ad te tuorum corda servorum, ut Spi-
ritus tui fervore concepto et in fide inveniantur
stabiles et in opere efficaces.

Illo nos igne, quæsumus Domine, Spi-
ritus sanctus inflammet, quem Dominus noster
Jesus Christus misit in terram et voluit vehe-
menter accendi.

Omnipotens sempiterne Deus! qui hu-
manæ fragilitatis infirmitatem agnoscis, respice

quæsumus, super nos famulos tuos et larga tuæ benedictionis abundantia infirmitatem nostram roboras, ut vota nostra, quæ præveniendo aspiras, per auxilium gratiæ tuæ innovari facias et sancte vivendo fidelius observari tribuas. Per Dominum nostrum Jes. Chr. Fil. tuum. etc.

Preces

in fine exercitiorum spiritualium.

Te Deum laudamus, te Dominum confitemur etc. ut in Brev. pag. 31.

℣. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum.

℞. Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu;

℞. Laudemus et superexaltemus eum in sæculo.

℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus;

℞. Populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

℣. Manda, Deus, virtuti tuæ;

℞. Confirma hoc, Deus, quod speratus es in nobis.

℣. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ;

℞. Et rege eos et extolle illos usque in æternum.

℣. Unam petii a Domino, hanc requiram,

℞. Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

℣. Domine, exaudi orationem meam;

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℞. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. Deus, cujus misericordiæ non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus:

piïssimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas.

Da nobis, quæsumus Domine, perseverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus nostris et merito et numero populus tibi serviens augeatur.

Proficiat, quæsumus Domine, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut sacris actionibus erudita, quanto Majestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur.

Gratia tua nos, quæsumus Domine, non derelinquat, quæ et sacræ nos deditos faciat servituti et tuam nobis opem semper acquirat.

Fideles tuos, Deus, benedictio desiderata confirmet, quæ eos et a tua voluntate nunquam faciat discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dom. nostrum.

DE INDULGENTIIS.

Indulgentiarum nomine intelligitur remissio pœnæ temporalis, cujus per peccata rei facti sumus. Hæc autem remissio concedi et favere potest tantum vere poenitentibus et pro modulo suo satisfacere conantibus. Indulgentiæ enim non in fomentum negligentiae, sed in supplementum humanæ infirmitatis dantur. Hinc requiritur ad lucrandas indulgentias, ut sis in statu gratiæ h. e. nullius gravis peccati reus: non enim potest remitti pœna manente adhuc culpa. Requiritur etiam, ut opera specialia ad lucrandas indulgentias præscripta peragas et efficax propositum dignos poenitentiae fructus faciendi adferas, bene memor te ex indulgentiis, quas vocant plenariis, nonnisi proportionatum tuo fervori fructum esse reportaturum.

PRECES

ad lucrandas Indulgentias Plenarias sibi vel animabus in Purgatorio applicandas.

Omnipotens, sempiternæ Deus, misericordia tua a peccatis omnibus æternæque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus poenis obnoxius maneam. Cum vero his diluendis opera mea non sufficiant, ad inexhaustum meritorum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi Sanctorumque thesaurum confugio, ut hujus abundantia tenuitati et indigentia meæ subveniatur. Promptum me ad omnia, quæ hunc in finem præstanda sunt, offero. Suscipe ea, o Pater misericordiarum, in unione passionis et mortis ejusdem Filii tui plenariæque hujus Indulgentiæ me licet indignum, fac participem. Amen. Pater noster. Ave Maria.

Memento, Pater æternæ, congregationis tuæ, quam possedisti ab initio; memento Ecclesiæ Filii tui, quam acquisivit sanguine suo eamque hæreditatis amplitudine dilata et exalta. Respice benigne sanctam Ecclesiam catholicam eique universas gentes associa, ut omnes te Deum, Patrem et, quem misisti, Jesum Christum una cum Sancto Spiritu agnoscant et adorent. — Pater noster. Ave.

O Jesu, lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, fac virtute passionis tuæ, ut pulsus errorum tenebris veritatis tuæ lumen omnes amplectantur et in optatum Ecclesiæ tuæ gremium omnes confluant. Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum contra omnes

inimicos protege eorumque insidias destrue, ut omnes cognoscant te esse nobiscum, ut dixisti, omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. — Pater noster. Ave Maria.

Spiritus Sancte, Spiritus amoris et pacis, qui tot tantasque gentes in unitate fidei congregasti, largire principibus christianis eorumque consiliariis gratiam tuam novoque charitatis mandato eorum corda imbue. Da, ut nihil unquam moliantur, quod gloriæ tuæ et concordie Ecclesiæ adversetur, sed unitis viribus ad pacis æternæ visionem populos sibi subjectos una secum perducere satagant. — Pater noster. Ave.

Suscipe, sanctissima Trinitas, has preces et reliqua a me quomodocunque præstita opera et fac, ut horum defectus passione et morte Domini nostri Jesu Christi ejusdemque pretiosissimo sanguine pro me effuso suppleatur atque ita me (vel animam N.) plenariæ hujus indulgentiæ fac participem. Pro quo beneficio tibi coelum et terra mecum laudes et gratiarum actiones cantent nunc et in perpetuum. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

His precibus potes implere illud, quod in concedendis plenariis indulgentiis plerumque injungi solet, nempe ut ores ad intentionem S. Matris Ecclesiæ vel Pontificis.

Indulgentiæ,

quibus Religiosi utriusque Sexus ex speciali indultu Pauli Papæ V. perfruuntur.

Paulus Papa Quintus, postquam, per decretum quoddam 23. Mai 1606 Romæ datum, omnes et singula

quibuscumque ordinibus concessas indulgentias revocasset et abrogasset, de novo sequentes omnibus utriusque sexus Religiosis in perpetuum concessit :

1. Omnibus et singulis ordinum religiosorum Candidatis in die susceptionis habitus regularis indulg. plenar., si vere poenitentes et confessi S. S. Euchari-
stiae sacramentum devote sumpserint.

2. Omnibus et singulis Novitiis ea die, qua post terminatum annum Novitiatus vota sollemnia emiserint, indulg. plenar., si vere poenitentes et confessi etc. ut supra.

3. Omnibus et singulis Religiosis in festo Ordinis principali (apud nos in festo S. Bernardi) indulg. plenar., modo omnibus consuetis conditionibus satisficiant, scilicet si confessi et sacra communione refecti pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, S. Matris Ecclesiae exaltatione et Pontificis salute pias ad Deum preces fuderint.

4. Novello Sacerdoti regulari in primæ Missæ celebratione nec non iis Religiosis, qui pariter confessi et sacra communione refecti eidem Missæ interfuerint, indulg. plen.

5. Omnibus Religiosis, qui designatis in Missali Romano diebus stationum propriam ecclesiam visitaverint et ibi oraverint pro Christianorum Principum concordia hæresum extirpatione etc. etc. easdem indulgentias ac si ipsas Urbis Ecclesias visitarent.

6. Omnibus et singulis Religiosis, qui per decem dies sacris exercitiis vacantes quotidie ad minimum duabus horis mentaliter oraverint, indulg. plenar.

7. Omnibus Religiosis recitantibus antè altare eorum ecclesiae 5 Pater et totidem Ave, indulgentiæ 5 annorum et totidem quadragenarum. Quod pariter conceditur iis, qui de Superiorum licentiâ extra Monasterium fuerint, recitando eosdem Pater et Ave ante quodlibet altare.

8. Omnibus Religiosis in mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore vel saltem corde devote invocaverint, indulg. plenar.

9. Omnibus Religiosis dimidia hora per mensem quotidie mentaliter orantibus Indul., 60 annorum et totidem quadragenarum.

10. Religiosis in culparum capitulis peccata sua accusantibus Indulg. 3 annorum et totidem quadragenarum.

11. Religiosis omnibus de licentia Superiorum inter infideles concionantibus in discessu e Monasterio et in ingressu commissae sibi provinciae, indulg. plenar.

12. Qui per spatium duarum saltem horarum Orationibus 40 horarum in generalibus visitationibus Superiorum assistentes pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione etc. etc. insuper et pro disciplinae et observantiae regularis augmento oraverint indulg. plenar.

Appendix.

Regulae Capituli Culparum.

Quoties P. Magistro post praelectam Regulam sacram placuerit celebrare Capitulum cum Novitiis et dixerit: „Benedicite“, tunc omnes simul respondeant: „Domnus“, et imediate surgant de sedibus suis; illo ulterius dicente: „Loquamur de Ordine Nostro“, procedat Junior in medium et flectat super articulos manuum quaerentique Magistro: „Quid dicit?“ respondeat: „Meam culpam“ et jussus surgere, surgat et inclinato corpore pronuntiet culpam suam hoc vel illo modo:

Tarde veni in chorum. In choro somnolenter et indiscipline me habui. — Libros chorales non debito tempore, vel erronee aperui. — Erravi sub Psalmodia. Inclinationes aliasve ceremonias vel plane non, vel nonnisi negligenter observavi. — In praestanda obedientia tardus et negligens fui. — Silentium in locis Regularibus et in cella Novitiorum non observavi. — Cum Professis et Saecularibus conversabar. — Res monasterii fregi. — Res mihi ad usum concessas alteri donavi, vel cum aliis commutavi etc. etc.

Hic tamen observandum, ea de quibus se quis accusat, externa esse debere; interna enim satius et consultius ad forum poenitentiae sacramentalis reservantur. Si autem Novitius a P. Magistro monitus vel reprehensus fuerit, cum omni humilitate et interno sui ipsius contemptu reprehensionem audiens dicet in corde suo cum Propheta: „Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas“. Poenitentia imposita, mox ad partem recedat eamque super articulos manuum inclinatus absolvat. Huic statim succedat, qui proximus in ordine sequitur donec omnes suas culpas dixerint et satisfactionem pro eis praestiterint. —

Gradus Obedientiae.

Primus est: obedire libenter, ut videlicet propriam voluntatem penitus abneges.

Secundus: obedire simpliciter, ut non plus nec aliter, quam tibi imperatum est, facias.

Tertius: obedire hilariter, ut in vultu serenitatem praeferas et in voce dulcedinem ostendas.

Quartus: obedire velociter, ut non sit tardior manus in opere, quam imperium in voce.

Quintus: obedire humiliter, non superbe, non elate, non contentiose; quoniam, nisi obedientia humilis fuerit, non mercedem, sed vindictam reportabit.

Sextus: obedire viriliter, ne vires mandato subtrahas teque infirmum et praecipit imparem fingas.

Septimus: obedire perseveranter, quia non est vera obedientia, quae ante consummationem intermittitur.

Quatuor puncta, in quibus Novitios incipientes cautos esse oportet.


1. Ut illam bonam voluntatem, qua vitam religiosam ingressi sunt, conservare studeant, et in primævo Novitiatus fervore non tepescant.

2. Ut non moveantur malis exemplis tepidorum ad imitandum; sicut quidam infirmi spiritu videntes alios desides, otiosos, verbasas, elatos, rebelles, ambitiosos etc. dicunt apud seipsos: „Si aliis hoc licet, quare non et mihi?“

3. Ne judicent temere facta aliorum, maxime ubi nesciunt, qua de causa vel intentione fiant.

4. Ut non frangantur adversitatibus vel tentationibus; sed cogitent, quia ad hoc venerunt, ut omnia, quæ eis in vita accidere possunt, sustineant propter Deum. Sicut qui intrat bellum, scit, se non delicias et quietem, sed vulnera et labores expectare debere.





B ar code

0127002

